

BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII 3345




25136

25136
H. Lodzi - Stasowolski





N. 1162.-




M A G N I
A N T I S T I T I S
I A C O B I
Z A D Z I C I I
Elogium & Vita

A
S I M O N E S T A R O V O L S C I O
C O N S C R I P T A.



C R A C O V I A E.

In Officina Typographica Francisci Cæsarij. A. D. 1644.



XVII-3345-III-



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISS. PRINCIPI,
D. PETRO GEMBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,
EPISCOPO CRACOVIENSIS,
DUCI SEVERIAE.
SIMON STAROVOLSCIUS. S.

NE mortalium gesta celebri
& perpetuâ memoriâ sem-
per digna, temporum de-
cursu queant in dubium aut
obliuionē adduci, operæ pretium viri
sapientes putarunt, Illustriſſ. ac Reue-
rendiſſ. Princeps, ea solidioribus quām
saxa, calx, aut arena, literarum monu-
mentis, imò & testium adnotatione,
memoriæ commendare æuternæ.
Quorum præcepto, ego quoq; bene-

factoris mei desideratissimi, Tui autē
in sacro Senatu Collegæ, & in Cathe-
dra Crac. Antecessoris digniss. Iacobi
Zadzicij, res præclarè gestas & vitam,
sequētis æui memoriæ traditurus, Tibi
eius amico ex asse, similibus in Rep. &
Ecclesia Dei muneribus, similiq; pru-
dētia & probitate perfuncto: & æquè
ut ille fuerat, iuris Ecclesiastici defenso-
ri, à gratia, terrore, voluptatum ille ece-
bris & aduersis inuicto, adq; beneficen-
tiā nato, dicare & sacrare volui. Ut
quemadmodum ille è Gembicij manu
(Patrui videlicet Tui, Primatis Polo-
niæ, perpetua animi æquitate & cōstan-
tia domi forisq; clarissimi) totius for-
tunæ suæ initia & progressus accep-
rit, atque moriens tabulis testamēti, fa-

mam

mam suā & decus, Tibi Gembiciorum
apici, & in Pontificatu certo ac desti-
nato successori, tuendā ab iniuria Mo-
morum commendauerit, ita & scri-
ptum istud, tuo patrocinio, vnā cum
autore iure merito cōmittatur. Nam
& opus ipsum, vt facile prospicio, mul-
torum obtrectationi expositum, ad-
uersus liuidos malignē pleraque inter-
pretates luculentissimo indiget defen-
sore: & ego ab obitu illius omnibus de-
stitutus fortunis & spebus, liberalissimo
Patrono. Quemadmodum igitur ne-
mo supereft, è tot Proceribus Patriæ,
qui Te ipso, consiliorum omnium, re-
rumq; ab illo gestarum locupletior at-
que viuidior testis esse posſit, quem ab
ineunte ætate ncfsti: ita nec me rerum

fidei in hac narratiuncula innixum, mai-
ori quis authoritate fulcire poterit,
quā tu Herus meus & Pontifex, cuius
ab ore & voluntate pendeo. Debes ita-
que hoc supremum defensionis munus
memoriæ tanti viri, à quo tot docu-
menta exactæ disciplinæ Ecclesiasticæ
haud minus, quām à Patruo Tuo te di-
dicens profiteris: & mihi patrocinium,
quem cum reliqua Dioecesi in tuam iu-
risdictionem & tuitionē accepisti. Iam
verò, quod aliud Zadzicij Manes vsu
nobilius officium à te amico & succef-
sore suo expostulant, quām vt eius glo-
riæ obrectatores, si fortè existant, ea
fidei constantia refutentur, qua viuum
& meriti honoris laude florentē colui-
sti: haud ignarus, quod præclara veri-
tas,

tas, quamuis omnimode à maleuolis
opprimatur, supra calumniæ attamen
nebulas facile emicat: & qui fide inte-
gra bonos mortuos coluit, viuos cōci-
liat. Sic quia non minori momento scri-
bentis fama, quàm agētis industria æsti-
manda est, me quoq; virtutum tuarum
cultorem & miratorem, eadem tutela
comprehende, & ab iniuria maleuolo-
rum protege. Ut & magni Zadzicij Ma-
nes, qui purissimo iam in æthere & in fa-
ma hominum perpetua gloria perfru-
untur, Tuæ mirificæ pietati plurimum
debeant; & ego olim cliens illius, tuis
nunc clientibus adnumeratus Gemb-
cianam deprædicem beneficentiam.
Profectò enim & tuæ famæ hinc non
dubia imortalitas prudentum iudicio

attri-

attribuetur, & magnus eorundem cal-
culo Zadzicius non facile interituram
laudem & gloriam apud posteros asse-
quetur. Cuius ego vitā ante alios, lite-
rarum memoriæ ideo commendandā
existimauī, ut clarissima perfectæ virtu-
tis exempla, quæ in sacrato homine, eo
maiori lumine resplendent, imitanda
posterioris traderentur. Quanquam nec
reliquas Sarmatiæ nostræ partes, forti-
bus & sapientibus viris, atq; omni ciuili
bellicaq; lauded dignissimis adeò effoetas
arbitramur, vt in iis veterum Ducum,
Præfulum, ac Senatorum, qui cæteros
quondā omnium ætatum ac gentium
haud dubiè veræ virtutis gloria supera-
runt, sibolem penitus interiisse pute-
mus. Verūm & in hoc quoq; viro, li-

be ra

beralium artium disciplinis, pietate ani-
miꝝ moderatione longe anteferen-
do, perquam multa reperiuntur, quæ
futuris olim ciuibus placebunt; & quæ
non modò in hac vrbe Metropoli, vbi
angusto loco eius ossa cubant, sed toto
terrarum orbe, religiosa cum venera-
tione, omnis posteritas admirabitur,
si Tibi vni Princeps Illuſtriss. ac Reue-
rendiss. virtutum illius ſpectato testi,
familiaritateque maxime coniuncto,
hic ingenuus meus labor dicatus o-
mnino placuerit. Vale Præſul Am-
pliſſime, & Ecclesiæ, Reipub. nobis
clientibus, diutifſime Viue.



B

Lectori




Lectori Beneuolo.

Nsignem ingenio Virum, dignatione
clarum, doctrina & prudentia admirabilem, ut qui ingentibus olim virtuti-
bus suis, magnorum virorum amici-
tiam, Serenissimorumq; Regum suorum
gratiam meruerit, & in Republica officia maxima gefferit, Patriaq; nostre immortale contulerit ornamentum,
Iacobum Zadzicium, Antifitem Cracouensem, Tibi
Lector beneuole rediuium statuo. Natum in Sa-
trapia Siradiensi, in pago Rzechta dicto, claris quidem
natalibus, sed patrimonio tenui: quod ille tamen fa-
cile sibi meritis & ingenio auxerat, ad quouis munia
Reipublicae aptus & impiger. Et ut verbo dicam, ex
omni virtutum & ornamentorum genere concinnatus;
sive spectes in tanto rerum fastigio, quod attigerat, co-
mitatem etiam infimis obuiam: sive in tanta rerum
affluentia, quam acquisuerat, spontaneam victus so-
brietatem: sive in tantis negotiorum undis, quas Regio
ac Reipublicae nomine tractauit, perpetuam animi tran-
quillitatem (id quod diuine cuiusdam mentis esse vide-
tur)

tur) siue sincerum erga pietatem ac religionem affe-
ctum, quam semper summo studio, nullo supercilie, tum
docuit, ut pastor, tum præstitit, ut Præsul Catholicus.
Nunc felix illa anima, sicut Ecclesiæ præclarum lumen
fuit; ita caelesti Hierosolymæ sydus illustre addit. Nos
verò tanta virtute orbati, non aliunde iusto dolori pa-
triae leniendo, medellam querendam esse putauimus,
quam à frequenti & diurna recordatione præclare fa-
ctorum illius. Scilicet, ut posteri diffusè intelligent,
quantum Zadzicius virtute animi, pietateq; præstiterit:
nec è titulo tantum marmoribus inciso, sed è perpetuis
actionum omnium annalibus Christianæ vita exempla,
sacratis præsertim hominibus petantur. Optimiq; Sena-
toris nomen, non in Polonia modò legatur, inclusum sci-
licet angustis unius edicula spatijs, verūm etiam ubiq;
terrarum Latina voce celebretur. Cuius rei gratia,
hoc munus eo propensiore voluntate suscepī, quod non
aliter, quam sic, id est gratissimo animo acceptum ab illo
beneficium, veluti debitum memoriaz piissimi Antisti-
tis persoñuere videbar. Etiuuabat sanè ea mandare li-
teris, que ipse in eius aula, & vt ita dicam contubernio
intimiori versatus, familiariter ab eo didicisse. Tu si
virtutem amas, lege & imitari stude.

A P P R O B A T I O.

I Deam boni Principis in Vita Illustrissimi & Reue-
rendissimi olim IACOBI ZADZIK Epi-
scopi Cracouiensis, Stylo puro & candido ab Admo-
dum Reuerendo Domino Simone Starowolski, Can-
tore Tarnouienſi, expressam testatur M. IACO-
BV S VITELLIUS in Academia Craco-
uiensi RECTOR atque ut in lucem prodeat, fa-
cilitate ad hoc sibi data, concedit. Datum ex Colle-
gio Maiori 31. Maij, Anno Domini 1644.



MAGNI ANTISTITIS IACOBI ZADZICII Elogium & Vita.

P R A E L O Q V I V M .



VI pace & bello gloriam consecuti, præclara ingentium facinorum exempla imitanda aut vitanda posteris tradiderrunt, eos omnium oculis ac linguis publicè proponere calamo depictos, vetustissimus tam Græcorum, quam Latinorum mos fuit. A quibus reliqui deinde populi quaquauersum, ut scientiarum præcepta, bellandique modum, sic & virtutum, honestatisque normam, cum tempore de-

sumpsere. Quinimò & nostri Sarmatæ, vna cum fide Christiana, literis ab eisdem acceptis & Philosophia, magnorum viorū, & excellenti virtute præditorum laudes celebrare, sero equidem didicerunt; ast apprimè vtile esse vitæ hominum & necessarium, vel ab inde statim censuerunt: vt & illis quos tantoperè suspiciebant quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur, & cæteri habeant, vnde virtutis & laudis exempla petant, & quo ad benemerendum de suis incitentur. Nam quemadmodum equum in cursu plausus agiliorem generosiorēmque facit, cùm alios circa, vel ante se gromerantes incedere videt: sic optimam cuiusque in dolem, laudes & approbatio iuuant, si eodem virtutis cursu quo cæteri magni viri incessere progrediatur. Proinde, cupidinem excitare volentes, currentibus impetu honesto ad gloriam veræ virtutis, clarissimi olim in patria nostra Senatoris, piissimumque Sacerdotis Jacobi Zadzicij vitam (cuius pietatem Ecclesia, Zelum religionis Hæretici, protectionem Clerus minor, beneficentiam egeni, candorem ciues, virtutem hostes, fidem ac prudentiam tota Respublica, Serenissimumque Reges perspexerunt) solidis literarum monumentis commendare statuimus,

mus, ut habeant futuris sæculis, tam Sacraei homines
in Polonia nostra, quam ciuilis vitæ studiosi, à quo in
vtraque Reipub. fortuna exempla sumant, ac quasi
stimulos quosdam, ad honestas actiones & laudabi-
lem imitationem. Quamuis sciam non deesse in Hi-
storijs nostris, multò vberiores patrum ac proauo-
rum nostrorum laudationes, quæ superstitibus ad be-
nè beateq; viuendum viam cōmonstrare, ingeniumq;
abundè exacuere possunt. Reticere attamen ea, quæ
& ad augendam tanti viri gloriam, & ad inflamman-
dos ingenuorum animos spectant, improbi prorsus
ac flagitiosi esse hominis putauimus. Cūm ex omni-
bus virtutum præmijs quisque honestus ac optimus
ciuis, non aliud sibi præmium exoptet, quam nomi-
nis sui apud posteros famam immortalem: præfer-
tim qui omnem operam, omne studium, omnesq;
cogitationes suas ad constabilienda Reipub. com-
moda attulerat. Alias, detrahit patriæ maiestatem
suam, qui præclara & fortia ciuium facta, quæ in lu-
ce collocari cupiunt, silentio prætermittit. Quapro-
pter ingentibus naturæ dotibus, & virtute eximia
præditum Antistitem promeritis laudibus ornaturi
primùm de generis nobilitate ac familiæ illius vetu-
state disseramus.

C A P V T I.

De origine & vetustate Korabitarum.

Korabitarum prosapia & nomen, tametsi multis ante annis in Polonia illustre fuerit, plurimique Proceres ex ea domo in Senatu floruerint, certam attamen stabilemque nunc primum Ioannis Lascij Gnesnensis Archiepiscopi ac Primatis Regni Poloniæ, fratrumque illius virtute claritatem accepit. Longior vetustas & origo, haud planè inuestigari potest, propter maiorum nostrorum simplicitatem, literas politiores tunc minimè callentium. Qui veteri Sarmatarum consuetudine, nosse & formare literas contenti, bella ex bellis ferere, armisq; sibi gloriam parare confueuerant: adeò, vt priuatos inter ille clarus & nobilis haberetur, qui plures ex hostibus interemisset. Post susceptam verò fidem Christianam, primus Korabitarum in Polonia floruisse legitur, Robertus Episcopus Cracouien. Anno reparatae Salutis quadragesimo primo, supra millesimum atque centesimum, ab Innocentio II. confirmatus, & Johannes Radlicius successor deinde illius.

Korabitæ autem dicuntur, iij nobiles, qui pro insigni

Elogium & Vita.

5

Signi nauim onerariam (Slauonica lingua Korab dictam) absq; velis cum malo ynico gestant, depictam in planicie rubea, ad proram & puppim, capita leonina, fulti coloris, habentem. Quo stemmate, complures hercle familiae in patria nostra, antiquitus vtuntur; & à pagis aut villis hæreditarijs, diuersisq; euentibus, diuersimodè cognominantur.

De Zadzicijs verò qui itidem hoc stemmate, Korab nuncupato ytebantur, primus literarum monumentis inuenitur commendatus, Petrus Zadzik, de magna Poradouo. Hoc est, hæres & possessor villæ sic dictæ, & in Palatinatu, seu Prouincia Rauensi sitæ. Qui domi & foris prudentia clarus, in vicinam Satrapiam Siradiensem, habitationem transtulerat: ex quæ Drusbinsciorum prosapia coniuge sumpta, Albertum ynicum filium susceperat, linguæ Arabicæ peritum, militiaq; bonum. Atque ea ex causa Diuo Sigismundo Augusto Regi Poloniæ probè notum, & in Thraciam sæpiùs missum.

Is deinceps è Puczkowna honestissima fæmina, & claritudine maiorum suorum illustri, duos filios reliquerat. Alterum Stephanum honore & officio Tribunatus Siradiensis conspicuum, liberorum deinceps exfortem. Alterum Ioannem, virtute magis,

C

quam

quam amplitudine opum, maiorum suorum gloriam
exæquantem : qui fuit pater Jacobi Zadzicij. Antistitis
nostris, quem laudandum suscepimus.

C A P V T II.

De Parentibus Amplissimi Antistitis nostri.

QMnibus sanè ciuili prudentia perpolitis liquet, non parum ad bonam indolem conferre, si quis eximijs, & quidem vtrinque parentibus fit prognatus. Nam quo quis nobiliori stemmate prodijt, eo clariore indicio animi rectitudinem in illo præfulgere censemus. Nostrique Antistitis parentes, & Catholica religione, & domestica disciplina inter vicinos atque cognatos floruisse, constans est omnium Siradiensis Palatinatus incolarum assertio, quos illi sibi & humanitate innata, & liberaliori genio amicissimos reddiderant. Ioannes igitur Zadzik sumpta in matrimonium Heduigi, filia Borssæ viri nobilissimi, duodecim ex ea soboles pari vtriusque sexus numero progenuerat. Sed quorum ex ordine tres ab ortu ipso famellas, Parca inhumanior præcociter humauit :

Elogium & Vita.

humauit: tres verò reliquas, paulò prolixiore lucis
vsur a frui, vel inuida concessit. Quarum prima, no-
mine Anna, Alberto Sarnowski Vexillifero Palatina-
tus Lanciensis, in coniugem data fuit. Altera Ca-
tharina, D. Francisci Sororibus de Obseruantia Cra-
couiae adscripta, Tereffia nomen in Religione acce-
pit. Tertia, primæ matris nostræ Euæ nomine insi-
gnita, Senatorio viro, Ioanni Louicki, Castell. Ino-
wloclauensi elocata vixit.

E mascula verò prole, primus fuit Matthias, na-
tura ad Martem formatus, & qui bellum cum Mo-
schis Sigismundo III. Rege Poloniae gerente, in urbe
Metropoli Moscouia editis fortibus factis ante ocu-
los Ducis sui Alexandri Zborouij, in acie occubuit.

Secundus erat Remigius itidem patrio more Bel-
lonae sacratus, qui ante virilem adhuc ætatem Ca-
menecij in Podolia vitam finiuit.

Tertius Hieronymus, qui dum literarum flosculis
iuuentam adornare conatur, ad nobiliorem supero-
rum speculationem iuuenis transit.

Quartus Stanislaus, ab ipsa pueritia spretis mitiori-
bus Camænis, armorum strepitum in Moschouiam
fecutus. Quo bello finito, dum Leopoli in Russia,
emerita stipendia cum cæteris commilitonibus præ-
stolatur,

stolatur, ad cælestium exercituum castra, æternam remunerationem accepturus, maximo cum mærore parentum euolat.

Quintus Ioannes, titulo Vexilliferi Prouinciæ Sieradiensis decoratus, cum & castra bellica, & diuer-sas exterorum regiones perlustrasset, atq; exinde charus omnibus in Regia Sigismundi III. fuisse, tandem connubio cum Theophila Kretkouij Palatini Bre-stensis filia, felix sibi videretur, inopinato præmatu-ra Fatorum sæuitia, ad meliorem vitam translatus est, prole nulla ex se relicta.

Sextus demum Iacobus, Episcopus Cracouiensis, quem Elogijs ornare destinauimus, vel ea etiam de causa quod ipse ultimus familiæ suæ Zadzicianæ pe-riodum clauserit, postquam supra opes vetustatemq; originis, & domesticam disciplinam, noua decora, & augustiora quidem intra penates, nequaquam par-ta ludentis fortunæ temeritate, sed grauissimis qua-
sita virtutibus intulisset. Hunc cum nescio quo au-gurio mater ad ingentis spei fortunam edidisse vide-retur, rara nunc inter matronas charitate, proprijs vberibus aluit, adultumq; usque adeò diligenti & pla-nè virili cura honestissimis moribus instituit, ut Stanislaus Varsicius Auunculus, Castellanus tunc Var-sauien.

fauiensis nescio quid egregium & verè magnum in pueri indole se conspicere fateretur. Nec cum sua fefellerat opinio; siquidem in eum ab admirabili quodam siderum concursu, cuncta postea humanæ felicitatis ornamenta virtus & fortuna contulerunt.

C A P V T III.

De eius Institutione.

Recetè sanè Laertius censebat, ea discere iuuenes quæ viris factis usui futura essent. Ex bona si quidem adolescentum institutione omnes, aut certè potissimæ commoditates, tam Religioni, quam societati hominum nascuntur. Quapropter non quibuslibet Magistris præclara ingenia sunt committenda, sed omnium, quam haberi possint optimis & præstantissimis; à quibus facile discerent, in animo temperantiam, in lingua silentium, in vultu pudorem habere: quia aliter bene viuendi artem, difficilime assequi poterunt. Iacobum vero nostrum ab ineunte statim ætate, adeò graui, excelsoque ingenio extitisse ferunt, ut perspicacissimi patriæ ciues, (quorum ea ætas admodum ferax fuit) eum ad omnia summa natum esse iudicarent. Igitur Calissium, ad

scholas Clericorum Societatis Iesu, à parentibus datus, humaniorum literarum principia audie hausit & pietatis. Postmodum ad Academiam Cracouensem missus, excoluerat se pertinaci labore, toto fere quinquennio, cunctis ijs artibus & disciplinis, quæ homines vera virtutis gloria perbeatos ac dijs similes efficere consueuerunt. Sed quemadmodum agricultæ, qui plantaria habent, nouellas stirpes transferre & transserere è natali suo solo in aliud solent, ut laxius lætiusq; crescant: sic Parentes Antistitis nostri, de indole filij sui iudicantes, suasu & sumptibus, ex parte eximij in Repub. viri Stanislai Varsicij Thesaurarij iam tunc Regni Poloniæ, affinis sui, in Italiam eum ablegarunt, ne genitali solo affixus steriliseret quodammodo, inter pares sibi otio & voluptatibus deditis, sed in aliud aliudq; traslatus solum, robur & incrementum sumeret in scientijs, & succresceret in virtute. Excitatur enim animus, & nescio quomodo maior seipso fit, conspectis toties nouis moribus hominibus, locis; inflammaturq; ad sublimia quæq; visa saepius cogitataq; aliena virtute & gloria, incurritibus in oculos magnis illis magnorum virorum Manibus, fortibusq; fortium ausis.

Perusij itaque sedem sibi deligit, Astreæq; totus ferè

Elogium & Vita.

ferè deditus celeberrimos Academiæ illius Professores Iuris integro triennio audit, vna cum Stanislao Lubinio, Episcopo deinde Plocensi, morum elegancia, vitae splendore, monumentisque ingenij, ac doctrinæ clarissimo, & Catholicæ religionis egregio dilectis factisq; assertore ac vindice, quo tunc æmulo in artibus humanioribus & Iuris scientia familiarissimè vtebatur. Sed & Doctoratus insignia simul cum illo accepit, profectusq; Romam pietate in primis eximia cum probatissimæ vitae Sacerdotibus certabat, quod ipse Clericali habitu indutus ad Ecclesiasticum iam ordinem adspiraret: vitae quoque temperantia, honestate, doctrinaq; cum optimis Philosophis contendere erat solitus, magnitudine verò animi, iudicio, prudentia atq; humanitate, vel spectatæ iam ætatis venientibus ad Vrbem patriotis æquabatur. Entebat enim satis maturè in adolescente ingenium alacre, præaltum, ardens, & vt in iuuenili feroce satiis graui prudentia temperatum. Accesserat corporis atq; oris dignitas maximè excellens, quæ & in senili deinde ætate potissima illi causa assequendæ & retinendæ ubiq; authoritatis fuerat.

C A P V T IV.

De Statura corporis illius.

Proceres in Rebus publicis ab antiquis appellati sunt, non solummodo inde quod celsiore dignitatis loco positi sint; sed quod vetustissima etiam barbarorum omnium consuetudine ad eiusmodi dignitatem procero corpore & digna imperio forma viri eligerentur, ut diuersis in Historijs videre est. Proinde & Zadzicium nostrum non modo animus ad quæquæ sublimia natus commendabilem in Patria reddebat, sed vultus etiam ipse, & statura corporis erecta excelsaque supra medio crem, macro habitu potius, quam succoso, satisque validis artubus à firmissimo quodam neruorum nexu. Erat facie rubicunda, hilari, oculis radiosis & iucundis, licet supercilia pilosa prominere viderentur. Nasus à medio elevatus, nec aduncus tamen labra decentia & candidissimi dentes illud os probum effingebant, quo adeuntes facile alliciebat ad se. Namque eloquentia fuit illustri exquisitisque literis condita, & cum oporteret ad iucunditatem exornata, adeò ut cum omnibus magnopere placeret, etiam sibi meliore fortuna dignus

gnus videretur. Inerat etenim lato pectori patulissq;
humeris militare decus, ni castra spiritualia ab adolescentia adamasset. Quare à prima iuuentute statim
erigebat animum ad gloriam anhelantem in spem
consequendæ laudis, in patriamq; è peregrinatione
reuersus, vix salutatis suis, protinus in Regiam se con-
tulit, & magnorum virorum lateri semper adhæsit.

C A P V T V.

De ingressu illius in Aulam.



Ingeniosa cuiusque Aulici virtus, summa ope ad-
nititur, vt quamplures Aulæ proceres amicitiâ
complectatur. Inter illos verò præcipuum aliquem
qui honoratum gratiæ locum apud Principem tenet
omnibus quibus potest, officijs sibi demeretur. In
patria autem nostra Cancellariorum lateri vt pluri-
mum adhærere solent, qui sunt duo Supremi, Polo-
niæ alter, & Lithuaniae alter: ac totidem Procancellarij,
alternis vicibus sibi succedentes ex ordine Ec-
clesiastico & militari. Siue igitur sæcularis vitæ stu-
dio quispiam sit præditus, siue spiritualis, in horum
amicitiam sese ingerere curat, qui emergere ingenio

D

in

in Repub. cupit. Qui verò militari ausu fortibusq; factis inclarefcere desiderat, duorum itidem Summorum Imperatorum Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lituaniæ comitatui fese inferit, vel eorum Legatis, qui vulgo Duces Campestres vocantur.

Et Zadzicius quidem, quod sacris iam initiatus esset, nec pro more gentis dirum ei Martem sequi cum reliquis fratribus liceret, ad Matthiam Pstroconium Premisliensem tunc Episcopum, & Regni Poloniæ Supremum Cancellarium se confert, codem Auunculo suo Stanislao Varsicio Thesaurario Regni promouente, cuius maxime sumptibus peregrinationem suam ad exteras nationes peregerat, ad mercatum bonarum artium & probitatem morum missus. Igitur à Pstrokoncio benignè suscepitus, adscribitur statim familiæ inter honestissimos ob indolem ab omni virtutum concursu gratissimam, qua ita piissimi illius Antistitis animum oblectabat, & eruditis moribus cæperat, vt inter carissimos emineret, & Aulicis omnibus in honore esset atq; amore, Patroni sui beneficio inter Regios Secretarios adnumeratus. Sed singulari amicitiæ nexu, deuinctos sibi habuit Lubinios fratres, Stanislaum in Iurisprudentiæ studio

dio suum æmulum, de quo supra diximus, & Matthiam natu maiorem, qui nunc Superum nutu ad Primum Regni Poloniæ euectus, Gnesiensis Archiepiscopatus culmen & Reipublicæ tenet, morum grauitate & innocentia conspicuus. Tum Ioannem Węzyk, eodem itidem Metropolitano honore & Principatu in patria ante Lubinium primario, præter insignem in utriusque Iurisprudentiæ laude præstantiam, omnis politioris doctrinæ cognitione ornatissimum. Qui tempore Interregni, Diuo Sigismundo III. Rege Poloniæ ad cælos euocato, mirum vigilantiæ, prudentiæ & integritatis specimen dedit, atq; varijs in negotijs Reipub. probi viri, optimique Senatoris munere egregiè perfunctus est. Horum amicitia Zadzicus vti iuuenis tunc cæperat, ita constantissimè tota vita usus est.

Transeunte verò Pstroconio ex Cancellariatu ad Episcopatum Vladislauensem, Romam ad obtinentias sacras literas, super Episcopatum illum, ab eodem missus, negotium feliciter expedivit; deditusq; lectio- ni Politicorum librorum, Eloquentiæ, Historiæ, atq; Iuris Canonici, in Curia Romana praxi continuæ, eam sibi doctrinam & prudentiam rerum compa-

rauit, qua in Patriam reuersus facilè posset omnem inuidiam in Regia superare, & crescere gradatim per quos suis Reipub. honores.

Redux igitur in Patriam, ad Laurentium Gembicum, qui Pstroconio in Cancellariatu successerat, recte se confert, gazam ingenij sui exponit, ad omnia promptus, ad omnia habilis. Literas enim scite atque expedite exarabat, dictabat eleganter, in omnique occasione iudiciorum, & æconomicarum rerum cuncta ad iustitiam, pietatem, ad decus temperantiamque vti Aulæ iam artium peritus reuocabat: quibus maximè rebus ita appetente, non Cancellarij modo sed Regis quoque Sigismundi ingenio certissima laus pararetur.

Nec multò post, cùm in ea domo aliquandiu virtutis eximiæ, perurbanæque comitatis & naturæ nequaquam fallacis vel insidiosæ, testimonia passim reliquisset, Gembicio præalta semper agitanti, in otio pariter, atq; negotio comes esse cœpit. Adeò, vt Sigismundo Regi tunc ad Smolenscum cum exercitu hærenti, per illum literas secrerioraq; Reipub. negotia tractanda transmittenret. Vbi dum extra ordinem necessaria Regiæ Cancellariæ officia cæteris lan-

guen-

guentibus, aut occupatis cura Castrensi diligenter im-
pleret, abnuenti semper & coacto similis, ne ambi-
tione potius quam obsequio aliena munia suscipere
videretur. (Maiori tunc Secretario Regni, alijs oc-
cupato, ægger imè id ferente.) A Rege ipso sèpius
negotijs adhibitus, cum literas quaqua hebdomada
à Gembicio ferens se se vltò insinuaret, & Secretarij
Ordinarij titulum, promouente Stanislao Varsicío
Regni Supremo Thesaurario facile adæquans, dextrè
omnia, & maxima cum diligentia perficiebat.

C A P V T VI.

De adimpletione officii Secreta- riatus.

Vetus monitum Aulæ, sed verissimum Themidi-
dem & Suadam colas: hæc te virum, illa ciuem
faciet. Quod vtrumque Zadzicius præ oculis ha-
bens, vtraque in arte omni conatu proficere adnite-
batur, cui naturæ dono, admirabilis ingenij captus,
& memoria rerum omnium erat singularis. Legen-
di quoque ac relegendi oblata quæque, & præaltos
etiam codices absque ullo fastidio audiissimus æquè

ac patientissimus fuit. Qua sanè re non Gembicio modò, viro facundia ingenijq; acrimonia claro, tum patriæ cultu ac religionis obseruantia pientissimo, cuius negotia apud Regem agebat, charus semper existit, sed omnibus fere Dynastis & Proceribus qui cum Rege in Castris fuerant. Igitur pro more & officio Secretarij, post expugnatum Smolenscum ab ipso Rege ad Conuentum nobilitatis Maioris Poloniæ Nuncius Sredam missus, quod omnia ex voto confecisset, priusquam ad Regem salutato per viam Patrono suo Gembicio redijisset, inter Prælatos Ecclesiæ Varsouiensis Custodis titulo adscriptus erat. Et paulò post à Stanislao Zolkieuio Supremo Regni Poloniæ Exercituum Duce & Cancellario (qui ei honos, Gembicio ex Episcopatu Vladislauensi ad Archiepiscopatum Gnesnensem promoto, in præmium debellatæ Moschouiæ recenter à Rege collatus fuerat) secretioribus literis Cancellariæ Præfectus vulgò Regentem appellant, non minus fide Principi quam facilitate cæteris satisfecit. In reliquis, aula morum iudex & magistra, quæ natum ad magna quæque ingenium erudiuit, modum ad altiores gradus & viam monstrauit. Et Rex Sigismundus col-

lato

lato ei titulo Secretarij Maioris, non tam hominem
quam honorem cohonestare visus est.

C A P V T VII.

De adeptione tituli, Secretarii Re-
gni Maioris.

HIS moribus iam abundè claro, & prospera vi-
genti fama Zadzicio, Diuus Sigismundus III.
Maioris Secretarij Regni titulum dedit, solis Eccle-
siasticis tribui solitum, cum prærogatiua inter Offi-
ciales Curiæ primaria quasi, nam & Referendarios
antecedit, & secretioribus Senatus consilijs, à qui-
bus Castellani minores excluduntur, quamuis stans
à tergo Regis absq; sella curuli, interest: & proximus
semper est vacante aliqua Ecclesia Episcopalis digni-
tatis atque munéris Senatorij. Veteri etenim Ma-
iorum nostrorum statuto quotquot Episcopi ritus
Romani in Polonia sunt, Senatum omnes ingredi-
untur, primumq; locum non modò ibi sed ubique
etiam occupant. Illosque primos, in custodia & tu-
tela legum & Patriæ antiquitus habere voluerunt
Maiores nostri, quos Deus ipse Ecclesiæ suæ Præsi-
des,

des, custodes & vigiles destinauit. Ad eum igitur gradum promotus, ita consilia, ita vitam instituebat, ut & Principi gratus haberetur, & omnibus qui sua opera ex tam numerosa Nobilitate Regni vterentur magnopere charus. Namq; eius domus (tribus ferè lustris hoc officio Secretariatus durante) veræ pietatis, iustitiæ, elegantiæ, virtutumq; omnium officina, cunctis patebat: superbia, libidine, audacia, simulatione, liuoreq; penitus exclusis. Natura siquidem & institutione ad pietatem formatus inciderat in tempora sapientissimi Regis Sigismundi III. qui Religionem colebat ut Numæ, animo & fortitudine munitus erat ut Scipio, prudentia instructus ut Q. Fabius, grauitate vel ipsum Catonem superabat, seueritateq; ac iustitia Torquato etiam superior fuerat. Igitur ab exemplo tanti Regis, & tam moderate ac feliciter imperantis, modestiam in verbis, & tota vita pietatem, religionem, facilitatem, prudentiam, nec non grauitatem morum, constantiamq; in proposito, æquitatem in decernendo, frugalitatem & prouidentiam in viuendo, aliasq; plurimas dignas Sacerdote Christiano virtutes facillimè didicerat. Ita enim natura comparatum est, ut qua in aula multi præclari, virtu-

virtuteque, & rerum gestarum gloria insignes Viri
floruerint, Rexque ipse ad omnia exemplo eis præ-
luceat, ex eadem sequentibus etiam Fata ipsius an-
nis, complures vestigia eorum cupidissimè perse-
quantur, Regisque tam illustris vitam inculpatam
& laudabiles mores, libentissimè in se efformare
studeant.

C A P V T VIII.

De assecutione Episcopatus Culmeñ.

Recetè à maioribus nostris institutum, vt inter Se-
cretarios Regios in Aula, Ordinis sacri viri, pu-
blicis perpetuo insuescerent, ac inniterentur negotijs.
Et Cancellariorum Referendariorumq; Regni, alter
semper Spiritualis esset, quo publicis eruditis atq; exer-
citi functionibus, pares Episcopali Senatorioq; mu-
neri euadant. Alias enim si inexperti & politiae ru-
des, ab Ecclesiarum Collegijs ad tanta sacerdotia ac-
cerferentur, licet in Ecclesia boni forent, at in Repub-
tyrones, infantesq; essent: qui nihilominus princi-
pem in Repub. & Senatu locum tenent. Atq; hinc
legendi nominandiq; Episcopos vetus mos in Polo-

E nia

ma ad Regium delectum, qui genium vniuersitatisq;
ac indolem è suis ciuib; longam per experientiam
nouit, tam inter seculares, quam Ecclesiasticos vi-
ros. Vnde & sapientissimus Rex Sigismundus III.
exactiori cura in Senatum viros ex ordine sacro quam
prophano legere solitus, Iacobum Zadzicum, ultra
quinque lustra in Regia sua versatum, & plusquam
tredecim annos Maioris Secretarij officio functum
Episcopum Culmensem nominauit, & si omnium
ferè bonorum gaudio, qui eius virtuti & meritis fa-
uebant, tum maximo certe Borussiæ incolarum desiderio:
qui virum omni politiori literatura perpoli-
tum & humanitate profusiori omnibus in Regia gra-
tum iam dudum suspiciebant. A quo enim tempo-
re ad publicas & Ecclesiasticas functiones manum &
animum admouit, nullam non virtutem maximis in
laboribus & sudoribus versatus, ita coluit, ut in ea
non excelluerit. Præcipue dum Regentis Cancella-
riæ simul & Secretarij Maioris munus obiret, singula-
rem industriam in negotijs tractandis, sedulitatem
in studijs hominum promouendis, comitatem faci-
litatemq; in excipiendis ciuib; acurrentibus ad Au-
lam mirificè seruauit. Et abhinc statim summam si-
bi non

bi non modò Serenissimi Regis gratiam, verūm etiam omnium hominum & ordinum benevolentiam comparauit. Ingressus igitur Episcopatum, præclaris naturæ dotibus vel priscis illis Patribus non inferior, postquam Iurisdictionem suam fundauit, & omnia ad præscriptum disciplinæ Ecclesiasticæ composuit, quo defatigatum tot curis animum, post Aulicas curas, & vicissitudines rerum, ad serias Spiritualis vitæ meditationes disponere posset, in Italiam per Imperij Germanici prouincias excurrere statuerat. Et iam Monachium in Bauaria peruenierat, cùm interim nunciatur ei Gustavum Sudermanum in Prussiam irrupsisse, bonaq; & possessiones Ecclesie suæ deuastasse: & ni mature subueniatur, omnia in nihilum redigi facile posse, partim hoste excurrente, partim milite Polono vniuersa depopulante. Quapropter Patriæ ruina & proprio damno motus, Romanæ peregrinationis consilium mutauit, inq; Prussiam occissimè reuersus, toto expeditionis tempore lateri Regio in castris adhæsit: ac tandem fatigatis bello vtrinque partibus, tractandæ cum hoste pacis cùm alijs viris illustribus author Regi fuit. Destinatusque ad conficiendum negotium metquartus, inducias

sexennales cum Suecis conclusit: promeritus à bonis omnibus gratiam, ab hostibus etiam inuitis laudem, à Deo immortali laboris præmium.

C A P V T . IX.

De obtento munere Procancellariatus.

SEnatum ingressus Zadzicius, in eo consummatæ prudentiæ theatro parem se magnis negotijs, statim probauit: Adeò enim scitè ac sapienter, tempore tractationis pacis cum hoste, de Suecicarum rerum statu, de Principum confœderatorum ingenij, de facultatibus, ac moribus Regnorum inter se concertatiū, deque ciuitatum maritimarum, ac populorum contra nomen Polonum insurgentium, atque tota pacis ac belli ratione disceptārat, vt diuersorum Regum legati, qui inducias illas Suecis persuaserant, aduersarum pariter ac secundarum rerum vſu edocti, neminem eo sapientia, iudicio, memoria, ac omni denique summa virtute præstantiorem esse faterentur. Quapropter Varsauiam ad Comitia reuerso, vniuersa Respub. gratias egit, quòd non armis publicoq;

blicoque periculo, sed diuina ingenij virtute, exoptata pacem affectæ patriæ peperisset. Pestilentia siquidem atrox ac repentina, quæ vulgatis minimo contactu morbis, cumulatisque subinde multorum funeribus, non modò castra, verùmetiam vniuersam Prussiam, Masouiam, Maioremq; Poloniam vastarat, magnos administrando bello difficultates afferebat: afflictis scilicet ancipiti periculo militibus, qui neque in agrum clementioris & liberioris cæli ad tuerendam salutem euadere, propter hostis propinquitatem, neque in castris exitiabili eius morbi contagione fædatis, supremi discriminis metu consistere audiebant. Cæli quoque rigidioris inclemencia multos ægrotos abstulit, quos ob luem inficientem alios, nemo sub tecta recipere volebat. Hos itaque patiter ac pauperes agricultores, annona laborantes, in ditione sua Lubauensi opportuna liberalitate Zadzicus subleuauit: nihilq; vehementius, factus Episcopus contendebat, quam ut nemo è subditis sui Episcopatus calamitatem, & fortunæ aduersæ mala, vel incommoda belli pateretur. Quapropter eum Rex sapientissimus, post exactos in Curia viginti annos Vicecancellarium Regni, Anno Christi 1627.

creārat, qui est honos singularis in Senatorio ordine amplissimæ ac opulentissimæ dignitatis. Quo suscep-
pto ab elegantia eruditorum morum auctiorem gratiam promeruit, donatus aliquot pinguioribus Sa-
cerdotijs, clarioremq; subinde nominis famam apud
omnes est consecutus. Iustitiae siquidem ac pietatis
diuinarumq; ceremoniarum culror fuit semper reli-
giosissimus, Patriæ libertatis, Ecclesiasticæ immuni-
tatis, maiestatisque Regiæ, pro suo officio defensor
constantissimus, atque demum præcipuo pacis ser-
tuandæ studio, & singulari omnis generis munerum
abstinentia clarissimus. Quibus moribus tametsi sin-
gularem ab omnium ordinum hominibus gratiam
mature collegerat, priusquam adhuc Senatum ingre-
sus fuisset, inuidia tamen moras progressibus suis ne-
ctente, tardius paulò annulum Reipub. acc epit.

C A P V T X.

De munere assecuto Supremi Can- cellarii Regni.

Adscriptus in Amplissimum Sarmatiæ Senatum
Zadzicius, non minus ex eo accepit, quam ei-
dem

dem contulit ornamenti. Siquidem & in summis
rei Polonæ difficultatibus, ad pacem cum Suecis
componendam missus, tantum muneric pro voto
egit, & Pontificijs virtutibꝫ, puta religione, inno-
centia, vigilia, eruditione & grauitate domi forisq;
insignis apparuit; & Procancellarij munere ornatus,
cum nec ambisset, neq; quicquam cogitaret minus,
annulum Reipub. maiorem accepit illustre & vlti-
mum munificentissimi Regis Sigismundi in se colla-
tum beneficium. Quod fānē munus quemadmo-
dum gesserit, diu spectatæ prudentiæ & probitatis
laudem adeptus, in omniū oculis, manibus, & no-
titia positum est. Nihil enim sibi antiquius duxit,
quām vt officiū istius magnitudinem & grauitatem,
integritate fidei, iuris obseruantia & custodia, iudi-
ciorumq; cura sustineret ac tueretur. Et quemad-
modum ubique summa erga Deum pietate floruit,
eiusq; diuino cultui promouendo studuit, ita quoque
Ecclesiasticae libertatis & immunitatis diligens cu-
stos eximiusq; vindex existit. Priscæ maiorum vir-
tutis ac disciplinæ veræ imitator, nullo nec adum-
bratae laudis stimulo, nec priuatæ utilitatis errore yn-
quam permotus. In expediendis negotijs summæ
facili-

facilitatis, in promouendis benemeritis de Ecclesia
& Patria summæ diligentiae & conatus: in dicenda
verò sententia Senatoriae grauitatis, pacis & concor-
diæ amantissimus, in omni deniq; sermone sapientissi-
mus semper, si quando pulcherrimum liberis ciui-
bus exemplum dedit, tum Interregni tempore, quan-
do vnuſquisq; pro genio suo ex dissidentibus in reli-
gione Regem Patriæ dare vellet, & ex potentioribus
non nemo pro suo arbitrio nobilitatem in partes &
vota traheret. Si quando igitur, tum difficillimo
illo tempore & in eo grauissimi officij munere, vsque
adeò splendore vitæ munificentiaq; liberalis animi,
& denique (quod ad promerendam gratiam vniuer-
forum, plurimum intereat) vrbana comitate præcel-
luit, vt eum summi quiq; in Patria Dynastæ, & omni-
um ordinum ex aula lectissimus quisque adamaret,
ipsaque, præcipue in Conuentu electionis apud Var-
sauiam, Polona nobilitas studioſe percoleret, senten-
tiam sequeretur, prudentiam canam & pietatem su-
spiceret. Sed & tempore Moschouitici belli ad Smo-
lenſcum, eo præcipuo teste monstratoreq; virtutis &
fidei, quisque vel infimi ordinis miles & ciuis, produ-
ci ad Regem agnoscijq; magnoperè cupiebat, quando
ipſe

ipse nemini deesset singulisque ex cohortibus præci-
puos quotidie mensæ suæ per ordinem adhiberet.
Nihil enim ei erat iucundiūs quam officio benignè
præstito, quam plurimorum voluntates promereret:
idq; eo splendidiūs, & ad gratiam parandam cumu-
latiūs siebat, quod sæpiissimè non rogatus, quos con-
spexisset pudore cunctabundos, vel ægrè quicquam
sperantes, vltò nominatim appellaret, commenda-
tosq; mirificè, ad osculandam Regis dextram produ-
cere consuefet. Quin & Moschouitici Proceres tra-
stationi pacis destinati magnopere eum venerabantur,
populusq; Roxolaniæ vniuersus quum quisque
pro ingenio, sicuti studium ferebat, aut excelsæ statu-
ræ & probi oris decus, aut Pontificiam grauitatem
habitumque in illis regionibus nusquam ferè visum
decenti incessu & urbana conditum comitate lauda-
rent, aut deniq; æquitatis lâce in apponendis vtrinque
conditionibus temperatum, iudicium mirarentur.
Quippe ad eius ori atq; oculis tanta vis, tantusq; honos
inerat, præmerendos omnium animos, ut non modo
ij quibus neq; beneficio, neq; iniuria fuisse cognitus,
sed etiam hostes patriæ publici, & inimici eius priua-
ti, ea celsitate dignum existimarent. Mirificam enim

amplitudinem istam rarissimo quodam naturæ munere in omni negotio actioneque semper afferebat. Ut enim supra diximus erat ample corpore, atque eoque quidem animi similitudine ad decus plurimum erecto, serena fronte, viuacibus oculis, nigricantibus supercilijs, pleniore ore, eloquentia verò tanta, ut in ea quum expediret Senatoria grauitas, libertas ferè militaris, urbana comitas, optimarumq; literarum, & veterum exemplorum conspersa floribus ad admirationem emineret.

C A P V T XI.

De promotione eius ad Episcopatum Cracouensem.

TAlibus igitur ac tantis dotibus præditum, Vladislaus Rex, Patri Sigismundo in solium succedens, non minus honoribus ornandum putauit, quam & Diuus genitor suus dignum fore existimauit, bello præsertim Moschouiticō fidelem ac diligentem operam eius expertus. Quapropter ad Franciscum Cardinalem Barberinum scribens, ut eum post luctuosum & immaturum ex hac vita Serenissimi Principis

tipis Ioannis Alberti S. R. E. Cardinalis, fratris sui
charissimi decessum, in Episcopum Cracouensem
nominatum suæ Sanctitati commendaret, eiusmodi
cum elogio exornauit. *Ille est præcipuum & firmissi-
mum Regni nostri fulcrum & ornamentum: & o aucto-
re ac moderatore, & cruentum cum Suecis bellum in-
ducijs suspensum, & pax cum Moscho tot sculis inſda
nunc tandem firmissimo amicitia nexu firmata coaluit.*
*Is alias maximi momenti res cum magno Repub. com-
modo confidere solitus, ubique integerrimus Senator,
optimusq; Præsul & videri & haberi voluit. Triginta
ille annos, continuis pro Repub. atque Ecclesia Dei
defunctus laboribus, Episcopatum Cracouensem
beneficio & promotione Serenissimi Regis Vladislai
IV. accepit, summum virtutis & meritorum fasti-
gium, Anno reparatæ Salutis 1635. Quod munus ut
dextre, prudenter, piè ac religiosè obiuit Cancellarij
onere deposito, testimonium perpetuò duraturum,
cum sua egregia, & Heroica facta dabunt, tum laus
& approbatio eorum, à summa Sede; cui inspectio
omnium fratrum, à summo Pastore Christo commissa
est, motu proprio profecta, cùm eum in Breui suo A-
postolico Vrbanus VIII. (29. Septembr. anno co-*

dem 1635.) talibus alloquatur. In Ecclesiasticis Magistratibus decernendis, nulla potest grauior apud Apostolicam sedem intercedere commendatio, quam quæ virtutum laudibus, & meritorum suffragatione innititur. His dotibus cum te eximiè munitum esse acceperimus, ad Cracovię. Diœcesis gubernacula libenter promouimus. Nos sane eam de tua integritate, vigilantia, & Religionis studio opinionem iam dudum concepimus, ut nullum in presentia cohortationi locum relinqui arbitremur: siquidem quæ pastoralis tui munera partes sint, egregie perspectum habes. Eandem in Diuino cultu sedulitatem, eandem in Catholice fidei propugnatione constantiam, eadem charitatis exempla, quæ in Culmensi Ecclesia continenter exhibuisti, exigit nunc à te populus tuus sollicitudini recenter commissus, ut per semitas Diuinae legis ad iustitiae coronam, quæ diligentibus Deum reposita est, feliciter perducatur. Cetera ex Nuncio nostro percipiet fraternitas tua, cui nos amanter benedicimus, Deum rogantes, ut pietatis tuæ vota celestis gratiæ dono, & animarum salute benigne consoletur. Omitto elogia ab Imperatore Romano Diuo Ferdinandio II. virtutibus suis attributa, tum à Ludouico XIII. Rege Christianissimo, alijsq; Principibus ac Rebus p.

Bus publicis Europæis, qui eum à Sereniss. Rege Vladislao IV. ad componendum orbem Christianū, Legatum deputari, Coloniam Vbiorum exoptabat. Eo quod felicissimè bis cum Suecis inducias, cum Möscho uitis verò pacem perpetuā nomine Reip. Polonæ conclusisset, fuisse tamen dexterimus in tractandis negotijs Regum suorum. Quo nomine magni aestimabatur & ab Inuictissimo Ferdinando III. cuius sororem Renatam Cæciliam Archiducissam Austriæ, sponsam verò olim Serenissimi Regis nostri Vladislai IV. confinia Regni Poloniæ ingredientem & luculentissima oratione, & splendidissimo comitatu excipiebat. Anno 1637. die 24. Augusti.

C A P V T XII.

De pietate eius ac Religione in Deum.

VT dies face, ita pietas laude non indiget in Sacerdote: à se clara est; praesertim postquam Pontificalem dignitatem attigisset: & quia Deum spectat, diuinos semper animos occupauit. Et Zadzicius à teneris pietati assuetus, animum quem per varias cogitationes, multiplices sermones, omnigenas

actiones, atque curas publici boni, negotiositas di-
spergebat, vna sancta intentione, vnoq; in omnibus
Deo placendi studio, indidem colligebat. Siqui-
dem omnia summus iste in Deum: affectus in se con-
tinet: nec quisquam verè bonus aut magnus fuit, qui
non à terra sustulit animum, & velut Numinis capa-
cem, & ternæ sapientiæ radijs miscuit. Itaque Deum
Optimum, Diuosq; omnes sincerè potius, quām ine-
pta garrulitate, cæremonijsuē, aut simulatis precatio-
nibus coluit. Singulis solemnitatibus, diebusq; festiuis
pio, pænitentiq; animo expiare sese, & Sacrum Missæ
Officium recitare solitus: Chiragræ verò doloribus
oppressus, Sacramenti hostiam ritè suscipere & quo-
tidiana sacra audire. Et quia religione pura & since-
ra neglecta, nihil in Repub. præclari, nihilq; solidi &
constantis, ad perpetuitatem constitui potest: proin-
de sentinam omnis impietatis, scholas Arrianorum
Racouienses maximo ausu euertit in Diæcesi sua Cra-
couensi, quod pij Antecessores sui tot conatibus ef-
ficere nequiuerunt, Vilnensefq; Caluinistas acriter in
Comitijs Varsauien. aggressus, ynanimi piorum con-
sensu & sollicitudine adiutus yrbe exturbauit, ac Re-
gio decreto condemnari procurauit. Simili zelo & in

Prussia,

Prussia, Torunensiq; vrbe, de Religionis incolumitate & populorum salute sollicitus fuit. Vnde supremus eum Ecclesiæ moderator Urbanus VIII. Episcopam Culmensem & Pomesaniensem administrantem Anno 1633. die 9. Ianuarij, sic alloquitur. *Et publicæ Catholicæ fidei causa, & priuatim virtutis tuae meritò te plurimum amamus, neque amare desistemus unquam, dum laborum, quos pro Religione suscipis, frustus constabit. Eum amorem, ut quam luculentissime testaremur, has ad te literas dedimus, ac dilecto filio Magistro Annibali Bentiuolo, intimo nostro domestico, atque Vtriusq. Signaturæ Referendario, qui rubrum Ioanni Alberto Regis fratri, galerum nostro iussu in Poloniā defert, mandauimus, ut eadem tibi coram, nostro nomine confirmaret, atque Apostolicam benedictionem impertiretur. Nihil Deo gratiūs, nihil Ecclesiæ utilius nihil nobis, bonisq; omnibus optabilius facere potes, quam ut in eadem, quam ingredi cepisti, insistas via, remq; Catholicam aduersus Ecclesiæ hostes summa ope adiuves.* Et iterum 14. Aug. Anno 1627. *Vbi Catholicæ Religionis dignitas est propaganda, non ijs semper armis opus est, quæ fabrilis manus in humanis fucinis cūdere solet. Igne atque aura Spiritus S. gladius ille anceps fabricatur,*
quod

quod est verbum Dei. Cælestem sanè palmarum segetem, sacerdotes sibi metunt, qui ubi usus venit, audacter illum distringunt. Hac lucis armatura, quā muniam iam pridem esse accepimus fraternitatem tuam, opportune defendi posse existimamus in proximis Poloni Regni Comitijs Ecclesiasticam libertatem. Omnino da operam, Venerabilis frater, ne se Ecclesiastica dignitas, in tanta rerum opportunitate desertam esse conqueri possit. Id nostro nomine à tua pietate exiget Venerabilis frater Archiepiscopus Seleucie Nuncius noster, cui eandem, quam nobis ipsis fidem habere poteris. Ad Episcopatum verò Cracouien. promoto sic scribit: (Anno 1639. die 20. Augusti.) Itaque Comitorum occasione, quæ propediem isthic habenda sunt, fraternitatem tuam de nonnullis rebus, ad Dei gloriam pertinentibus, certiorem fieri voluimus, per Venerabilem fratrem Archiepiscopum Auenionensem Nuncium Apostolicum, cuius verbis consuetam fidem à te haberri optamus. Veteri autem tue erga nos obseruantie, ac virtutis experientio confidimus, te cuncta ad exitum è sententia perduci, non minus libenter, quam sedulo curaturum. Quibus sanè officijs rem promouere studueris, ijs voluntatem nostram fraternitati tue arctius obstringes, cui à Patre
luminum

*luminum celestis gratiae incremenum precamur, &
Pontificiam benedictionem ex animo impertimur.*

Gaudebat etenim Summus Pontifex talem Religionis propugnatorem inuenisse in partibus nostris, quem zelus Domus Domini exederet in ista statione excubantem, in qua non commodum priuatum spectare Pastor Pastorum Christus Dominus iussit, sed attendere gregi sibi commisso, ut omnibus bene beateq; viuere liceret. Quapropter eadem pietate cum incredibili charitate erga egenos & pauperes & rarissimo quidem exemplo ostendit, hebdomadatim monasterijs largiendo eleemosynas, quotidie vero ostiatim quarentibus stipem. Sed hoc nemini voluit esse notum praeter Sacerdotem domesticum haec distribuentem, qui sibi ea in re fidissimus erat. Ob orta quoque in populū saeuia fame, malignitate exustæ segetis, singularis erga subditos pietatis specimen praebuit, diuerso frumento ad viginti duo millia modiorum, per domus & familias liberaliter absque omni mercede diuiso. Prouidit & pauperibus pie alendis compluribus in locis ditionis Episcopalis, qui ne vestitu etiam careant, in Xenodochio Bodzantinen. Radouienſi, Kielcensiq; haud exiguo suo ære censum fieri

fieri procurauit. Et quia pietas etiam erga parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conseruare, teste Tullio monet, laudemq; perennem vel ipsa pia facta conciliant: ideo retributionem à Domino spe-
rans, in patrio solo Druzbini, vbi parentes eius sepul-
ti sunt, templum à fundamentis exstruxit & dotauit,
eorumq; ossa in vnum monumentum intulit, vt qua
vixerent concordia & mortuū quoque vnā quiescerent.
Ac vt quiescerent benē, aram sepulchro addidit & Sa-
cerdotes, qui certis diebus inter sacra eorum Manibus
parentarent. Similiter & fratre præmatura morte
(quæ semper optima eripit) sublato fecit, qui Ve-
xilliferi Siradiensis dignitate ornatus, eam in tota vi-
ta spectatis operibus laudem tulit, vt non magno in-
teruallo ad fraternalē virtutis nomen accederet. Qua-
re fluxam vitæ mortalium imbecillitatem, & rerum
incertas vices, intuitus, ne non parato & sibi Domi-
nus superueniret, viuens & vigilans, diuersis in Diæ-
cesibus diuersisq; in templis Episcopatus sui, funda-
tiones pro anima sua fecit, imposito onere perpetui
Anniuersarij, vt potè Cracoviæ, Sandomiriæ, Kiel-
cij, Luceoriæ, Varsaviæ, Lancitiæ, Plociæ, Vlad-
islaviæ, Gnesnæ, Poszaniæ, Chelmzæ, & Druzbini.

Tunc

Tum pro ædificanda Capella Diuo Ioanni Cantio,
proque curanda eius Apotheosi, summam pecuniæ
haud contemnendam donauit, quam etiam auxit
tabulis testamenti. Diuæq; Claromontanæ Orato-
rio perficiendo, ad sumptus Lubiniorum fratrum, vi-
tæ innocentia, morum integritate & sanctitate insig-
gni Antistitum in patria nostra, quibus cum semper
amicissime vixerat, aliquot millia florenorum ad-
numeravit.

C A P V T XIII.

De cura & sollicitudine eius conser- uandæ Polonæ incolumitatis.

NON omnis ille bonus ciuis, sapiensq; Consiliarius est, qui vultu virtutem refert, & barba trabeaque sapientiam ostentat: multi enim hominum sunt, qui varias sub simulationum velo formas exprimunt, si cultum inspicias, sanctum existimes; si orationem audias, Satrapam loqui putas; si vitam expendas, militem arbitreris; si iudicium, bubulcum. Illum itaque illum ego probum Reipub. municipem optimumque Procerem, cum Periandro duco, qui

erga Principem obsequium, erga Reipub. officium,
erga vtrumque fidem tenuit, quique ad amplifican-
dam vtriusq; gloriam vires contulit, quas potuit. Et
Zadzicius noster, vt ex supra dictis de illo patet, Deo
religionem, Principi obsequium, parentibus pietा-
tem, benemeritis gratiam & memorem animum,
iustis honoribus & honestis officijs persoluere opti-
mè mouit, & curauit. Sed maximè Interregni tem-
pore sollicitus fuit conseruandæ Polonæ in columita-
tis, ne diuersis ciuium de eligendo nouo Rege opi-
nionibus & sententijs, ad discordiam primò, deinde
ad arma & interitum deuenisset. Neque enim ullus
alius discordiarum solet exitus esse, inter magnos &
potentes competitores sceptri, nisi aut vniuersus in-
teritus, prouinciarumq; vastitas, aut victoris domi-
natus. Proinde grauis res est, etiam vigilantissimo
Rege liberum populum gubernante, dissidens inter
se Senatus. Quid vbi spes Principatus? quæ sapissi-
mè ad nefarios conatus prava ingenia per pulit. Pro-
inde Electionis tempore, omnium Ordinum præci-
puos, quosuis ad retinendam libertatem, leges, iusti-
tiam, fidem, religionem, & omnem Reipub. tran-
quillitatem, dulci Suada sua ducebat, & ad conspi-

ratio-

rationem in Serenissimum Principem Vladislaum
natum apud nos & educatum, eligendum in Regem
Poloniæ cohortabatur: vel à Summo Pontifice lite-
ris excitatus (1632 Nouembris 25.) quæ sic habent:
*Nos quidem, qui de Polonia incolimatae vehementer
sollicin sumus, maiorem in modum cupimus, ne tuum
pluriumq; tui similium suffragium, quibus nimirum
Dei honor, & vera Reipub. dignitas cordi est, in huius-
modi catib; desideretur. Ita enim fiet, ut caducis re-
bus posthabit; illud tantummodo libere & constanter
decernatur, quod e re tum Christiana, tum Ciuitati, opti-
mi Senatores & sapientes Viri esse iudicauerint.* Quo-
tiescunque etenim Comitia Regni Varsaviæ, aut ali-
bi celebrabantur, semper Sedes Apostolica scripto ad
eum Breui, ad tuendam rem Ecclesiasticam eum
commonefaciebat, ex quo Senatum ingressus fuerat:
gnarus perbellè, nullam eum publicam consultatio-
nem, nullumq; Comitium omissurum: uti nec omi-
serat vñquam, siue Conuentus fuerint indicti Pro-
uinciales, siue Generales totius Regni, cogitationes
suas de ijs rebus, quæ vel prodeffent, vel obessent
Reipub. cum alijs communicando: eosque ad pro-
bandum ea quæ dixisset, vel ad improbandum exci-

tando, cum iuniorum consilijs multa noua, sub novo Rege proponerentur, ipse verò inueteratam, & à maioribus acceptam Reipub. consuetudinem haud facile mutari exoptaret: non modo stultum & ignominiosum verum etiam impium & sceleratum esse iudicans ea negligere, quæ ad ciues felices & pacatos efficiendos, quæ item ad seditiosos reprimendos pertinent.

C A P V T XIV.

De prudentia illius & grauitate iudicij.

Si præclaras corporis atque animi virtutes cum perpetua rerum gestarum felicitate conferamus, proculdubio Zadzic^o noster, nō æquales modo suos ciuilis prudentiæ laude, sed superioris æui etiam Senatores anteibit. Nam si eos, qui sua ætate in Patria florerunt, enumerare velimus, liquido constabit, eum omnibus laudatissimis etiā quibusuis Sarmatiæ nostræ Antistitibus fuisse virtutibus æqualem: meritis in Patria omnibus, qui nunc sunt aut erunt, meritò suspiciendum. Si etenim naturæ illius felicitatem expēdas, quid eius ingenio, vel ardentius ad dicendum, vel acrius ad iudi-

iudicandum, vel fæcundiùs ad inueniendum? Quis pari animi suavitate atque constantia, paribusq; iustitiae ponderibus, vel controuersias disceptauit, vel improbitatem odio habuit, vel virtutem honore prosecutus est, vel optimos viros antetulit, aut peccantibus ignouit, recteue currentibus, cursus socium se præbuit? Quis vnquam pari facilitate atque laude, omnes totius eruditioñis partes coniunxit & absoluít? Cui tanta Historiarum, tanta Geographiæ, tanta antiquitatis notitia contigit vnquam? Quis sacrarum aut prophanarum omnium literarum, tum Iuris Ciuilis, atque Canonici, absolutam scientiam est assecutus? Sin memoriam examines, quis author seu vetus, seu nouus, quem ille non in promptu habuerit? Ex tot eximijs scriptoribus, quos nobis, vel erudita dedit Græcia, vel huius æmula prodidit Italia, vel olim studijs florentissima produxit Gallia, vel ingeniosa peperit Belgica, vel laboris patiens edidit Hispania: nescio fueritne aliquis author quem non legerit, quem non diligentí studio reuoluerit, aut summam scriptionis memoria non retinuerit? Viguit siquidem in eo supra quam credi par est, admirabilis rerum ac nominum recordatio, tanta felicitate,

vt quæ

vt quæ puer in scholis, ex Poetis aut Oratoribus memoria mandauerat, ea data occasione inter disceptandum authoritatis adstruendæ gratia facilissimo negotio recitaret. Nemo ferè vidit illum nihil agenter: nemo inculpabit quasi ocio & ignauiae deditum. Erat enim in eo inexhausta auiditas legendi, scribendi, controvertendi, expediendiq; negotia seu publica, seu domestica; nec labore satiari poterat, aut assiduis occupationibus. Quis autem non facile condonasset tali Viro, si quando animum negotijs externis delassatum iocis aut lusibus relaxasset? At illi pro venatu, pro aucupio, pro alea, pro chartis, pro morionibus, proq; cæteris auocamentis vulgaribus, erat aut frugifera lectio, aut cum erudito viro colloquium, aut rei Oeconomicæ dispositio, aut oratio ad Deum. Omnia autem statis horis & diebus, cum Ecclesiæ, aut Reipublicæ negotia expediuerisset priùs. Cum etia autem sub eo officia, quæ vel in munere Cancellariæ Regni, vel in functione Episcopali, vel in regimine subditorum, domesticorumque administrationem respicerent admirabili ordine constabant. Nihil enim in toto humanarum rerum negotio, domi & foris ipso ordine esse præstantius differere erat solitus.

solitus; quo vno & ipsa in primis Respub. & actio ci-
uilis omnis, & domestica disciplina, veluti certissima
compage regerentur. Imperata itaque iussaq; in ma-
ximis minimisq; rebus de scripto exibant, in consilio
primum eorum qui vsu rerum & prudentia valerent
exactissimè deliberata discussaque. Vnde non est
mirum, quod ex voto plerunque felix euentus se-
queretur, in æconomicis præsertim: ubi ministrorum
fidem & diligentiam in omnibus ad amissim exige-
bat, & per censores quidem spectatæ probitatis, qui
singula pro meritis, ad poenam & præmium reuoca-
rent. Hinc complures illi fuere Amanuenses, qui vel
ad supplices subditorum libellos, datas responsiones
connotabant; vel expensarum prouentuumq; rationes
in codicillos referebant; vel causas iudicatas compo-
sitasque actis publicis inferebant; vel exempla litera-
rum, quæ in grauissimis Reipub. negotijs aut ipse ad
Principes viros scripsisset, aut ab alijs accepisset, per
volumina disponebant. Ut si quis iustum Patriæ
historiam condere velit, non aliunde yberiorem, cer-
tioremq; materiam desideret: quando ex his bello-
rum causæ, consilia pacis, & rerum gestarum euentus
facillimè deprehenduntur. Maximè cum Moschus,

Turca, & Sueci simul insurgerent, contra nouiter coronatum Inquietissimum Regem nostrum Vladisla-
um, quem ille omnibus modis & rationibus ad pa-
cem inducebat. Ut potè, qui plerumq; diceret, nihil
commodius ac utilius videri, quām tribus propositis
hostibus, cum primo pacem pacisci, cum altero au-
tem inducias parare, ut in tertium maximè expedita,
& grauiora arma verterentur. Studebat enim tran-
quillitati, copiæ, vbertatiq; omnium rerum; atque
ideo Regem Martios spiritus gerentem continuò, ad
pacis studium inducebat, proponentibusq; ei ex assi-
duis victorijs gloriam identidem inculcare solebat.
Bellum ad eius quidem arbitrium, qui istud cupit in-
choari, verùm non eiusdem arbitrio componi: cùm
enim omnes molitiones sint ancipites, tum bello-
rum maximè, quæ communi Marte & dubio euen-
tu terminantur. Proinde honestius, & humano ge-
neri salubrius, Regem vocari Pacificum, quām Bella-
torem, postquam iam tot fortitudinis suæ ac felici-
tatis experimenta dedisset. Quamobrem maiorem
in dies apud Regem gratiam, exactæq; prudentiæ
opinionem apud omnes est consecutus, quam vt plu-
rimum ex alienis iudicijs quæsitam, in proprium sen-
sum

sum & succum conuertebat. Eum siquidem prudentiæ, iudicijq; Senatorij tenorem, vsque ad vitæ exitum constantissimè tenuit, vt non temerè quicquam, tum in Reipub. negotijs, cùm in munere Episcopali decerneret, nisi accitis probatæ integratatis, & peritiæ rerum viris, vt exquisitis separatim omniū sententijs, quod statuendum foret, multorum iudicio probaretur. Sed id tanta dissimulatione expetebat, vt semper alienis exordijs & discursibus animi propositum celaret, atque aptè demum ad id quod vellet, instituto nouo sermone deferebatur. Quoniam eo pacto, nunquam prolato interiore animi decreto, autoritatem suam egregiè retineret, nec ob id persuasione prudentiæ, animi consultorum inflarentur: quando ij alia semper de causa se vocatos, & fortuito demum sermone, in grauiorem consultationem incidisse, humanitate Domini facilè existimarent. Verùm illos confecto negotio, aut prolata in iudicijs sua sententia, iucundè potius, quàm grauiter, vel statim in corona, vel ad mensam laudabat, qui feliciter in disceptatione diuinassent, aut pro tribunali cum illo sedentes, sententias suas dixissent. Id quidem iucundiore gratia, quod liberaliter, & nullo

fastu gloriam communicare videretur, eaque moderatione & temperantia in reprehendenda alterius opinione vteretur, ut nullum superbū, aut insolens dictum ore, vel gestu prorsus excideret. Ad honestam verò ab ingentibus curis animi relaxationem, literarij otij, fructum & iucunditatem, Bibliothecam haud contemnendam habuit, quo raros admittebat, idque multa consuetudine sibi familiares, & in quibus multiplicis doctrinæ copia, cum vitæ ac morum integritate certans sibi nota fuisset. Proinde paucos ad Reipub. honores, aut Ecclesiasticas dignitates promouit, aut Regiæ clementiæ commendauit, nisi quos magna integritatis, veraq; pietatis existimatio ne pollere, probè pernossset. Nec quisquam ab illo feruentiori studio promotus fuit, quam Ioannes Lipski, cuius par nobilitati virtus, Serenissimi Regis Vladislai IV. beneficio, è Referendarij munere, ad Sarmaticæ purpuræ lucem Culmensi Episcopatu concessa, tum ad Gnesnensis Archiepiscopatus euecta fastigium, clarissima, sed breuissima effulsit; prius enim quam Zadzicius ipse terras reliquit, & in cælesti contubernium emigravit. Cuius ingenij & eloquentiæ præstantiam, nunquam interitura monu-

menta

menta testantur: peritiam verò legum, opportunitatemq; consiliorum illius & studium Religionis sepulchrali fide, posthumaque fama disces.

C A P V T XV.

De candore ingenii, & lenitate morum.

MVltis equidem simulationum inuolucris tege-re, & quasi velis obtendere homines sciunt ad-
genitæ prauitatis indolem; interq; aulicos commu-nissimè lingua aliud loquitur, aliud tacito clausum
pectore reconditur, maximè cum honores vtilitati
coniunctos certatim ambiunt, & vel simulata pieta-te Principi, maioribusque Dynastis placere student.
Quos adepti, citò mutant pellem, & ad genium pro-prium redeunt: saepiusq; procellosi animorum mo-tus aliquandiu intus cum modestia luctati, tandem
in altum euecti, cum occasione exitum reperiunt,
vultu illorum tantæ violentiæ vestigij signato, non
aliter, acsi compressus strangulatusque intra nubes
aer, ruptis valido impulsu carceribus sese explicat, eli-soque igne sonitum horribilem edit. Non ea indo-

les fuit Zadzicio, qui totus candidus, & ad probitatem effictus, adaperto potius, quam latebroso & callido ingenio erat, naturaque ipsa eos oderat, qui animo ancipiti essent, multosque recessus & varios anfractus haberent, dissentiente praesertim fronte, in qua preclarè apud generosos ac probos, & fides & pudor habitarent. Lenitate igitur atque eleganti vita iucunditate, usque adeò dulcis & comis fuit, ut non Proceribus modò ipsis, quibus cum conuersabatur assiduo, sed infimæ plebeculæ etiam, quæ gaudebat ab eo humaniter admitti, comiter alloqui, & sine fuco aut fallacijs postulata impetrari, seruata tamen grauitate Senatoria Pontificiaque dignitate, morum urbaneitate & affabilitate egregiè placeret. Tanta enim varietate clementiam simul & saueritatem exercuit, ut delicta familiarium, & subditorum, nunc puniendo pro criminis grauitate, modò facile ignoscendo constantem, ubique lenitatis & facilitatis famam assequeretur: excandesceretque subito, cum insolenter virgeretur, & obstinatus: ex aduerso autem, si quid molliter postulares, ciuili humanitate placidus apparebat, adeò ut is omnium sauerissimus simul atque lenissimus haberetur. Potiusque peccantes ab aula sua

sua discedere increpitos iuberet, quām vt inhumano acerbiorique aliquo pænitentiæ genere afficeret. Et quamvis in cognatos quosdam & affines suos delinquentes, supra æquum seuerior habebatur, humanitatis attamen & candoris eximij laude ductus, dimisit eos potius, quām condignis pænis emendare voluit. Maximas enim iniurias æquo animo ferre solitus erat, & ad multa conniuendum esse dicebat: ideoque exactissimus delictorum vltor esse volebat, etiam in pænis Clericorum, quæ spirituali corriguntur disciplina.

C A P V T XVI.

De robore & constantia animi illius.

SToici cùm omnia ornamenta, omnes virtutes Sapienti tribuissent, eundem à perturbatione animi, à dolore, & consternatione vacuum esse voluerunt; qui externis rebus ab interna tranquillitate non potest dimoueri; qui sic semper excubat animo, vt ei nulla res improuisa accidere possit, nulla inopinata, nulla omnino noua: qui omnem fortunæ casum aptè & quietè perfert. Talis fuit Zadzicus noster, qui omnium

omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitan-
dum abundans, etiam inuariabilis animi constan-
tiam & robur inuictum declarauit, aduersus omnem
inuidiæ contumeliam adeò permunitus, vt secunda
pariter ac aduersa uno indomitæ mentis tenore me-
tiretur. Vnde cùm illi non nemo amicitiam Ducum
Zbarauiorum (qui in medio virtutum & honorum
curriculo erepti, acerbum sui desiderium Patriæ reli-
querunt) nocituram aliquando insusurraret, impe-
dimentoq; ad Senatoriam dignitatem & Cancellarij
munus assequendum diceret; constanti animo re-
spondit: *Vultum sibi quasi Socraticum semper eundem
esse, nec orbitam probitatis ambitionis cupiditatis
causa deserere velle, sed ita libere sentire nunc, & patriæ
libertati consulere, Maioris Secretarij Regni titulo or-
natum, ac si iam in Senatu fuisset.* Sed & priuati lu-
ctus & publici mœroris incommodis conflictatus,
ea magnitudine animi ac patientia compressit dolo-
rem, vt neque in cubiculum se abderet, neque ullo
vel tacito gemitu, vel exili suspirio, æquabile illud
frontis decus immutaret. Præsertim cùm illi mors
fratris germani nunciaretur, in quo tota spes seruandæ
domus posita fuerat, aduersa prosperaque ad volun-
tatis

tatis diuinæ placitum referre solitus Miram quoque fortitudinem animi, & patientiam semper in tolerando omni dolore ostendit, nec virile putabat aut Christianum, in morborum cruciatibus, quos toto penè corpore perpetiebatur, gemitibus ulloué lachrymarum vestigio fædari. Igitur complures annos morbis diuersis exagitatus adeò obfirmato animo erat aduersus omnes dolores, atque ipsam mortem, ut in agone ipso etiam nulla omnino, vel subtristis, vel perturbati animi signa prætulisse videretur. Et cuiquam monenti, ut Matris Dei patrocinium inuocaret, eiusque sancta intercessione placaret, mox ad futurum iudicem Christum, *vel de hac re dubitas?* respondit: statimque Litanias Loretanas recitari iussit, graui vultu ac composito, *Ora pro nobis*, identidem ingeminando.

C A P V T XVII.

De liberalitate, & munificentia eius.

Nihil magis Pontificiam Senatoriamque dignitatem decorat, quam si in tribuendis beneficijs suam declaret munificentiam, & in recipiendis

obsequijs ac muneribus, nullam præferat cupiditatem. Hinc auaritiam esse idolorum seruitutem non uno loco dixit Apostolus, ea ratione, quod qui pecuniae student, totius vitæ suæ spem & fiduciam constituant in pecunia. Quod in alijs cupiditatibus non sit: nam cæteræ cupiditates singulares sunt, auaritia vna reliquas omnes complexa est. Ac propterea viro sacrato maximè fugienda, vt faciebat Zadzicus noster. Qui aurea, & verè beata medioeritate delectatus, frugi, moderatus, & diligens in re Oeconomica fuit. In exercenda verò liberalitate, qua vna maximè virtute, vel ingentia vitia occultari facile possunt, modum semper tenuit, varia admodum fama, quum in erogando distribuendoque meditata & prouisa largitione vteretur, nec vñquam adduci potuit, vt inconditè largiendo maximè liberalis famam aucuparet. Qui tamen opes semper contempsit, adeò liberali iudicio, vt à subditis supplices libellos auro aliquo insertos quo gratiores fierent, nusquam recipere voluerit, vituperatis, qui inoletam consuetudinem non immutandam esse venenata libidine gauderent. Præterea nullum vñquam sacerdotium venale proposuit, nullum delinquentem pecunia

nia mulctauit. Nusquam census auxit, nusquam corruptus sententiam tulit aut iustitiæ cursum impe-
diuit. Cùmque semel duos ad sessionem turris, ob
crimen patratum, per annum integrum in terrorem
aliorum condemnasset, eorumque uxores mitigan-
dæ sententiæ causa, per domesticum quendam au-
reos quadraginta obtulissent, pecuniam nec inspe-
ctam continuò illis remisit, & carceris pænam ad
vnius tantum septimanæ spaciū duraturam edixit.
Sumptuarias rationes censu oppidorum, & frugum
prouentu æquabat: ne, vt ipse dicebat, temere deco-
queret. Irridebat enim plerosque in hoc Dynastas,
quod liberalitatis & munificentia famam aucupare
volentes largè primum profunderent sua, mox dein-
de inuiderent, & insidiarentur opibus ditiorum. Alij
verò sub prætextu publicæ necessitatis, rapere aliena,
& victualia passim per viam à rusticis extorquere fa-
tellitibus suis permitterent, vt ab extemporanea, &
dissipata liberalitate, militum animos sibi deuinci-
rent. Illi verò contra, præcipua cura semper fuit, pa-
ganos & agricolas ab auaritia militum defendere,
oppida tueri, exactiones ab illis prouenientes ære
proprio exsoluere, licentiamque militarem in hyber-

nis, & in agmine, grauiori sermocinatione, vocatis ad mensam præcipuis capitibus cohibere, atque oblatis munusculis insolentiam eorum, à suis subditis auertere: quod Senatorij etiam Ordinis viri, promerri studia militum, vel cum iniuria generis humani oportere censerent. Et quia præclaro gentium omnium consensu, boni studiosiq; mortales, qui in hac vita multis fortunæ lusibus expositos se vident, augustæ virtutis suæ operibus maximè diuturnam laudem petunt; huncq; vnum & summum ex tota laboriosa vitæ agitatione fructum spectant, ut nominis sui memoria ad posteros nobili perenniqt; literarum præsidio, postquam cætera omnia tempus rerum edax celeriter absumat, quam longissimè proferatur. Idcirco Zadzicius Mūsis litare cupiens, quas tota vita adamauit, penes Academiam Cracouensem bonarum artium altricem & matrem, Contubernium Studiosorum, vulgo dictum Hierosolitanum, à piæ recordationis Zbigneo Olesnicio Cardinali & Episcopo Cracouensi olim erectum, & vt illa tempora ferebant satis prouisum, nunc autem & parietum humiliatione ad ruinam vergens, & rerum caristia ad solitudinem redactum, tam in muris, quam in fun-

in fundatione subleuauit, trigintaque à suo cognomine dictos Zadzicianos alumnos perpetuo foueri iussit, multis millibus eam in rem numeratis. Adscriptis & Diui Cantij Vniuersitatis illius tutelaris honori non contemnendae aestimationis, tam in vita quam in tabulis testamenti, summis pecuniarijs. Propinquos præterea, & alienos fuit suis sumptibus, in Italia, Gallia, Belgio & Germania, non tantum nobili genere natos, sed & plebeios, quos hic nominare aut enumerare haud fas putaui, ne gratitudini eorum quidpiam derogare videar, qui sui benefici patroni, ut existimo, si non scriptis, at certe memori animo liberalitatem & munificentiam, posthumæ posteritati commendabunt. Quamuis enim ille ipse gloriam ex liberalitate petere neglexit, eam tamen ob id certius atque liquidius assequebatur, quod in vita eius nihil absurdum aut impium, quod Pontificiæ virtutis aciem hebetaret, ab austero vel maligno censore notari posset. Nihil enim ei erat antiquius, quam in omni Ecclesiastica, ciuilique actione, religionis decus omnibus commodis anteferre, templorum iura tueri, legibus coercere impios, patriam propugnare libertatem, nomenq; Polonum ornare

ingenijs nobilibus, ordine laudabili & gloria immortalis. Et hinc quæ situs semel, cur congestam in arcas pecuniam, se viuo in ornamenta templorum, aut subsidia misericordia orum distribui non pateretur, memor illius dicti Apostoli Pauli: Operemini bonum dum tempus habet is? Liberali ingenio subito respondit: falli magnopere eos, qui me ingentem concessisse pecuniam existimant, cum valde mediocris sit, si modernorum temporum estimationem auri nimium valorem censem præsca consuetudine demas. Quam tamen non cupiditatis, aut auaritie causa afferuo, sed necessitatis Reipub. respectu habitu diligentibusque si (quod Deus auerruncet) ab aliquo potenti hoste inopinatè oppimeretur, in repentina perturbatione omnium, posset facile iuuari, priusquam contributiones indicerentur publicæ. aut hostis facto aliquo progressu maiorem audaciam sumeret. Ego, inquit, qui pastor ouium curæ meæ commissarum sum, morbis & senio iam confectus, vel fuga salutem, vel deditione spontanea querere haud possum, neque etiam licet; conscripto autem aliquo milite drepente, gregem meum & quæ, ac me ipsum pro posse defendere, donec Respub. maiores vires & iustum exercitum collegisser. Quod si vero Numinis sancto, a quo quis periculo & motu patriam

patriam nostram solito protegente contigerit, me tranquillis temporibus vitam cum morte feliciter commutare, pecunia nulla asservata, que respectu tantæ necessitatis Reipub. valde exigua est, cedet pauperibus, Deoq; dicas locis, vti & factum est. Verumtamen non defuere grauiora acerbioraq; ingenia, qui Zadzicij famam auaritiæ nomine sugillarent, ignari prodigos & nimium de suo largiendi liberales degenerari facile ob penuriam in raptores alienorum & oppressores subditorum suorum. Multosque Principes maximos, non modò Ciues aut Proceres ordinarios natura minime malos, & bono præditos ingenio, in Tyrannos degenerasse legimus, non aliam ob causam, quam quod ad paupertatem fuerint redacti. Animus enim excelsus inopia & egestate subactus in aleam mittit omnia. Quare, miserabilem profecto magnorum virorum condit onem existimauerim, quando eorum mores ad arbitrium prodigorum, obæratorum, aut egentium hominum, sœuam potius quam benignam interpretationem accipient. Sed erga propinquos & proximo affinitatis gradu necessarios durus & illiberalis fuit? ita vt fratrem germanum, natu minorem, nullo angustiori in Patria titulo aut officio
Reipub.

Reipub. exornare studuerit, præter Vexilliferi Sira-
diensis dignitatem, quæ vnicuiq; nobili Polono ob-
uenire facile potest: etiam si nullum in Senatu pro-
pinquum ne dicam Cancellarij Supremi honore pol-
lentem fratrem germanum habuerit? Dico, verum
id esse, & ratione sanè, nam Episcopus bonorum Ec-
clesiæ rationem reddere supremo Iudici Christo ob-
strictus est, qui pauperes pane isto nutriendos esse cen-
suit, non consanguineos ditandos. Cuius rei testi-
monio ille superiorum Episcoporum profusam libe-
ralitatem erga propinquos, uti grauem perniciosam
que Ecclesiæ, Sanctorum Patrum exemplo, detesta-
ri erat solitus. Eamq; ob causam, tam amicis, quam
familiaribus grauissima censura sacerdotia concessit,
& locupletare bonos quamuis ac studiosos, nullaten-
nus voluit, ne opibus Ecclesiasticis abuti videretur.
Nepotes verò ex sororibus & propinquos quosuis,
seriò monebat, ut pietatem & iustitiam colerent no-
bilique animi decreto existimarent virtute potius,
quam malis artibus ad opes & gloriam conten-
dendum..

C A P V T XVIII.

De cultu & conuiectu eius.

Erat in cultu vestituq; moderatus, potius quam elegans vel sumptuosus, quamvis multam vestem ac pelles preciosas habuerit, donatas sibi à diuersis, & vasa argentea, aureaque. Oderat enim luxum, munditias amabat. Proinde & mensarum honos non in delicatis & exquisitis dapibus, sed hilari simplicitate, perenni copia, comitateq; & frequentia conuiuarum censebatur. Et fortassis aliqui ex antecessoribus eum numero famulatu, cultuq; domus, & splendore lautitiæ superabant, sobrietate tamen & abundantia rerum, nescio an aliquis superauerit Zadzicium. Erat enim priuatis in rebus suis domesticisque sumptibus natura & consuetudine minimo contentus, ut pote qui ciuili patrioq; cultu vixerat, frugaliq; & munditijs potius referta, quam lauta mensa vteretur. At cum clari hospites, & præsertim aduenæ virtute insignes occurrerent, nullis vel maximis sumptibus parcendum putabat, præsertim cum in Regia versaretur, Secretarij Maioris prius, post-

modum Cancellarij Supremi titulo conspicuus, ad quem potissimum extranei, suis à Principibus missi, negotiorum expediendorum causa accedere solent, & ex eius genio, Regis ipsius mores & maiestateim aestimare solent. Ut hic omittam diuersorum hominum in Regia multitudinem, quæ semper magnificientia & splendore capit, & siue ut nos contemnatur siue ut suspiciat, facillimè incitatur.

C A P V T XIX.

De Ædificiis ab illo extructis.

Nitorem ac splendorem in ædificijs ac vestimentis seruare, apud omnes gentes decori ducitur, excedere autem in iisdem modum turpitudinis loco reputatur. Quare & Zadzicus Antistes ad decus & ornamentum Patriæ natus, postquam in magnis salutaribusq; virtutibus optimi atque benefici cognomentum facile meruerit, etiam ædificijs extuendis publicis magnanimitatem suam monstrare voluit, nullū principe viro & immortalitatem merito impendij genus dignius reputans, quam quod erogatur in posteros. Igitur in Episcopatu Culmensi, celeriter

celeriter restitutis, adornatisq; prædijs aut de nouo
exstructis aulis, opportuna liberalitate, & priuatæ
commoditati, & elegantia publicæ consuluit, præ-
cipue arcii Lubauensi formam addens recentioris ar-
chitecturæ luculentiorem. Ad Cracouensem verò
translatus sedem, quo commodiores honestioresq; si-
bi successoribusq; suis mansiones redderet, dirutis an-
tiquis ædificijs noua pleraq; diuersis in prædijs à fun-
damentis exstruxit, Sczurovia præsertim, Xanis, Ra-
dlouiæ, Lipoueciaæ: reliqua in veterem formam re-
stituit atque exornauit. Sed præcipue Kielensis Pa-
latij cultum elegantiamq; mollebat, nisi mors præ-
propera cæptis interuenisset. Quod tamen sumptu-
tabulis testamenti destinato perficitur & exornatur,
illo superstite parietibus & tecto ad culmen deducto.
Reliquas quoque arces, domus, prædia & oppida,
Episcopæ huius restaurare & illustrare aggressus erat,
sed mors manū iniecit non sine publico sensu. Varsa-
uiæ attamen Episcoporū Cracouieñ usui satis magni-
ficum palatum extruxit, & aliud futurorū Cancellaria-
riorum seu Procancellariorum status Ecclesiastici cō-
moditati, vrbis decori, documento demū magni ani-
mi & in nitidiorrem formā suumq; splendorem cuncta
redditura pollicentis.

C A P V T XX.

De eius Obitu ac Funere.

PRUDENTER sane & verissime, ut omnia mellifluus
Doctor de obitu proborum virorum: *Mors bona,*
est laboris corona, vite ianua, felicitatis porta. Quid
enim vita hæc? aut quid amæni habet? qui optimè
de ea loquuntur, cum mimo aut ludo comparant;
qui intentiùs & seuerius, addo & verius cum carcere
aut custodia assimilârunt. A natali nostro die si in-
spicimus lachrymæ & gemitus sunt, & cùm grandio-
res eorum pudet, suspiria & internæ curæ. Ergo
qui sanctè, prudenter, temperatè, summa gratia, sum-
mis honoribus, summa cum dignitate vixerunt, pro-
ijs laboribus, & molestijs, quas hic aut pro patria, aut
pro Ecclesia Dei perpessi sunt, felicitatis æternæ par-
ticipes erunt; ad quam per mortem velut per ianuam
quandam ingressus eis patebit. Nam quemadmo-
dum nauis saeuissimis diu susq; deque iactata procel-
lis & fluctibus, tuto deinde in loco conquiescit: sic
vita nostra, magnis sæpè oppressa & quassata labori-
bus, id maximè inoptatis habet, ut in morte tanquam
tutissim o

utissimo quodam portu, omnes suas molestias laboresq; deponat. Quibus Zadzicius noster fractus, præmatura adhuc morte (nondum enim sexagesimum ætatis annum expleuerat) & quando sui opera in primis desiderabatur, in terris, ut cælo frueretur, esse defiit: illamque æternæ felicitatis coronam, ad quam omnes anhelamus, perfectæ virtutis perfecto functus munere, properauit die 17. Martij. Anno Æræ Christianæ quadragesimo secundo, supra millesimum ac sexcentesimum Bodzantini in Arce Episcopali. Eius funus, ut par erat, cum ingens omnium Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum frequentia conuenisset, amplissimis exequijs & pompa magnifica, totius urbis, immò totius Regni Poloniæ summo mœrore ac incredibili desiderio celebratum. Luxereque elatum veris lachrymis, cuncti ciuium ordines, non modò propinqui aut familiares. Nam summa æquitate ius dicere, obliuisci factionum, tueri ab iniuria infimos, & quod maximè in Senatore optimo sanctissimoq; Episcopo approbes singulari prudentia & liberalitate militum in hybernis manentium rapinas & insolentiam, à miseriis agricolis Episcopatus sui atque Oppidanis, auertere erat solitus. Inque omni eximiæ prudentialiæ,

dentiæ, & perfectæ pietatis officio, ac moderata re-
gendi clerum disciplina, Radziuilo Cardinali, alijsq;
sanctissimis Antecessoribus suis par fuit. Et in tanta
morum grauitate qua pollebat, facili aditu, sermo-
nis comitate, magnificentiaq; operum & præclara
clementiæ laude, multos ferè ex superioris sæculi Pro-
ceribus & Episcopis superabat. Tumulatus est in
templo maximo Diui Stanislai Tutelaris Poloniæ &
Episcopi Cracoviensis, prosequente in atra veste ami-
corum & familiarium turba, vbi eum è suggestu Chri-
stophorus Sapelius Canonicus Cracoviensis disertif-
simè laudauit.

In testamenti vero tabulis, quas biennio ante obi-
tum suum confecerat, nullum Christianæ pietatis, &
humanæ benevolentiæ erga suos & amicos officium
prætermisit: cumq; euanescente spiritu hora fatalis
immineret, ad quam se vocatis Præsbyteris præpara-
uerat, accersito Alexandro Brzeski Canonicō Craco-
viensi, summo cum pondere verborum, reliquarum
rerum suarum dispositionem commisit. Quare ab
eius obitu, erogata in egentes, cucullatos, piosq;
Sacerdotes & sacratas Virgines, qui perpetuis supplica-
tionibus vacarent, yltra centum & octo florenorum
Polo-

Polonicalium millia. Consanguineis (computando & supellec̄tilem diuersam) plus quam ducenta milia. Bonis amicis per ipsum testamento legata quadraginta circiter & tria millia, familiaribus domesticis, triginta duo. Pro monte verò Pietatis eriendo, centum quinquaginta millia, proque extruenda Capella, millia viginti.

Literas sicut viuens coluit, candidusq; arbiter extimauit, ita mortuum certatim eadem versu & prosa lamentatae sunt: quarum subsidio, nobis tantam iacturam, etsi nihil humanuni satis sarciri potest, sarciet magna ex parte diu superstes memoria: nam reuera virum, omnium laudum præconia exuperantem amissimus, qui vt moriens viueret, semper vt moriturus vixit, tuncq; decessit, quum eum viuere opus erat. Extat in peristylio ad eadem D. Francisci imago eius ad veram oris effigiem depicta (vbi plurimorum sanè Episcoporum Cracouiensium, cum veris eorum vultibus imagines cernuntur. Latinis elogis passim res ab illis præclare gestas indicantibus) Ad quam nos etiam, vti patrono beneficentissimo scripta eiusmodi Epigraphe parentauimus.

CHRISTO REDEMPTORI S.

SISTE GRADVM VIATOR.
ET VEL MODICE MAGNI PRÆSVLIS
VVLTVM CONTEMPLARE.

F V I T I S

I A C O B V S Z A D Z I K
V E T V S T A K O R A B I T A R V M F A M I L I A,
I N S A T R A P I A S I R A D I E N S I N A T U S.

Q V I

I T A N A V I M S V A M G E N T I L I T I A M
P R V D E N T E R D I R E X I T,
V T I L L O N A V A R C H O
E T E C C L E S I A E D E I N C E P S, E T R E I P V B. N A V I S,
F E L I C I T E R V E L I F I C A R E T.

I M P E R A N T E S I Q V I D E M S A R M A T I S
D I V O S I G I S M V N D O III.

M A I O R I S S E C R E T A R I I R E G N I
T I T V L V M P R I M O,
A N N V L V M P O S T M O D V M P O L O N I A E V T R V M Q V E,
M A X I M A C V M L A V D E G E S S I T.
C V M Q V E O M N I A F E R E,
S E D E C V L M E N S I C O N S P I C V V S,
P R Ä C L A R E F E C I T,
T V M B E L L I S A C E R R I M I S P E R C I R C V I T V M
P A T R I A E O B O R T I S,
P A C I C V M H O S T I B V S T R A C T A N D A E
D E S T I N A T V S,
F Ä D V S P E R P E T V V M C V M M O S C H O V I T I S,
B I N A S V E R O I N D V C I A S C V M S V E C I S,
E X V O T O C O N C L V S I T,

J N

JN PRIVATA DEMVM VITA,
QVANTVS LITERARVM, IVSTITIÆ,
ATQVE CVLTVS DIVINI
PROMOTOR FVERIT.
SERA POSTERITAS DICET,
CVM AB ILLO PROBITATIS EFFIGIEM EXPOSSET.
HÆC AVTEM, TAM DIV DVRABIT,
QVAM DIV POSTHVM CELSAS INTER VIRTUTES
GRATITUDINEM NVMERABVNT.

OBIIT ANNO MDC. XXXX. II. MARTII XVII.
CVM VIX LVSTRA DVODECIM EXCESSISSET.
SEDISSSET VERO IN SEDE CRACOVIENSI
ANNOS SEX CVM DIMIDIO.

Qua quidem subscriptione, imò toto hoc tractatu, licet non sit luculenter expressum, quicquid vir ille eximius ab ineunte ætate, in Repub. pariter, & Ecclesia, ad extremum usque vitæ actum strenuè atque magnificè peregisset, tu attamen Lector bone hisce contentus dabis veniam tenuitati nostræ, quod rerum omnium quæ in mundo aguntur ignari, ea quæ scire à Viris fide dignis, famaque publica potuimus, ornandi tanti Antistitis causa pro virili nostro connotauimus. Nam omnes illius laudes vitæque ornamenta exponere, aut pro rei dignitate tractare adeò difficile, atque arduum est, ut haud scio an quisquam eorum etiam, qui summam eruditioñis

peritiæq; forensis laudem consecuti sunt, hoc præstare possit. Sufficit fuisse illum Antistitem, vt ab incomparabili maximarum virtutum concursu memorabile posteris eius nomen futurum putem, cùm nemo ferè ætate nostra ipso solidæ doctrinæ canæq; prudentiæ opinione celebrior, nemo sobrietatis & castimonia laude ornatior, nemo vitæ modestia, frugalitate, innocentia, atque religione præclarior inter Proceres Regni haberetur. Proinde & aliam Cenotaphio illius in arce Cracoviensi incidendam si videbitur eiusmodi inscriptionem dedimus.

R E G I S Æ C V L O R V M.

GENIO Q; ET VIRTUTI,
MAGNI HVIVS ECCLESIAE ANTISTITIS

I A C O B I Z A D Z I K.

Q V E M

NATVRA IPSA, ET DOCTRINA
AD SVMMA QVÆQVÆ FORMAVERAT,

DIVVS SIGISMUNDVS III.

R E X P O L O N I A E
MAGNI SECRETARIi HONORE PRIMO
MAGNI DEINCEPS CANCELLARII REGNI TITVLo,
ADVNCTA EPISCOPA CVLMENSI,

Q R N A V E R A T.

P QST-

POST QVAM VERO
INTER PRÆCLARI SENATORIS MVNIA,
DIFFICILLIMIS REIPVB. TEMPORIBVS,
PACEM CVM MOSCHOVITIS,
BINAS VERO INDUCIAS
CVM SVEGIS CONCLVSISSET.

V L A D I S L A V S IV.

AD ALTIOREM EVM CATHEDRAM CRACOV.
PROMERITIS PROMOVERAT.

QVO IN LOCO
EVNDEM VITÆ ET PROBITATIS
TENOREM SERVANS,
AFFABILIS, BENIGNVS, MANSVETVS, PIUS,
AT QVE IVSTVS,
ET VT PATRIÆ LIBERTATIS,
SIC ET ECCLESIASTICÆ IMMVNITATIS
ACERRIMVS DEFENSOR FVIT.

SED HEV, FVIT.
NVNC VERO CINERES TANTVM
HOC NOBILE MARMOR TEGIT.
GRANDISILLA ANIMA CÆLVM EVOLAVIT.
ANNO VIRGINEI PARTVS,
MDC. XXXII. DIE XVII. MARTII.

V I A T O R

QVI SIC MORITVR, NON EXTINGVITVR.





O D E

MATTHIÆ CASIMIRI SARBIEVII.

Ad Illusterrimum Dominum

I A C O B V M Z A D Z I K

E P I S C O P V M G V L M E N S E M,

Supremum Regni Cancellarium, cum Pace inter
Polonos ac Moschos ad Polanouiam confe-
cta, in Poloniā rediret.



Cribere magnis maximè Vatibus
Orator, alti pondere consilij
Momenta bellorum & labanteis
Eloquio populos in æquam.
Librasse pacem, nos humlli Lyrâ.
ZADZICIANI DOMINIS & sonum
Et culmen infra, nec togatas
Carminibus tenuare curas.

Nec fracta Mosci fulmina prælij
Parum canorâ dicere tibia.
Audemus aut Regum trophæa, &
Laurigeram memorare pacem,
Quam luctuosæ culta Seueria
Omnisque latè ripa Borysthenis,
Et Moschus & nuper Borussus
Compositis tibi debet armis.

Hæc

Hæc & pedestres historiæ dabunt,
 Grandis L V B I N I , nec venientibus
 Facundus inuidet annis,
 LIPSCIUS aut faciles G E B I C I .
 Nos Leniori dicere barbito
 Iuss'ere Musæ, quæ Polanouiae,
 Colonus oræ per Viasnæ,
 Culta Borystheniosq; saltus.
 Nixus recurvo carmina vomeri,
 Bisterque cantet: Iam video cauas
 Florere valleis & natantem,
 Fruge noua fluitare campum.
 Iam læsa rursum rura nitescere;
 Ridere colleis cella meti iuga
 Ipsosque messores agresti,
 ZADZICIVM geminare cantu.
 Tum verò dulci ferauere nomine,
 Valles & amnes. Quis Deus otium
 Mutauit è tanto tumultu,
 Quis gladijs iaculisque falceis?
 Non solus olim iurgia conficit,
 Pugnasq; Mauors; sunt & idonea,
 Bellis & opportuna paci,
 Palladi Mercurioque tela.
 Rarum cruentis desinit ensibus,
 Et cæde bellum sæpiùs ardua,
 Regum secundauere cæpta,
 Flexanimæ placida arma linguæ,
 Regnisque fineis quos male noxiùs,
 Describit ensis certius innocens,
 Metatur in Charta, volantis
 Penna styli, tenuisq; mucro,

14

Quem Fas, Honesti ducere limites,
Et inter æqui quem ratio potest,
Quem norma pernicis gubernat
Consilij, tacitumque pondus.
Hæc tela nunquam ponimus, hos Deus
Mortalitati mentis & ingenii,
Affixit ensis nos ab alta
Eruimus alia arma terra.
Ferro vicissim cædimus & manu,
Tauris & vrsis scilicet in uidi,
Vngues cruentare & minaci,
Vulnera congerminare cornu.
Haud parua laus est corpore, languidum
Strauisse corpus, sed potioribus
Triumphat armis, quisquis hostem
Parte sui meliore vicit.

Też Ode z Łacińskieto ná Polskie przeložyl Solnierz
jeden V. Nieborowski.

Ciebie ó wieki Krásomowco slavia
Pisorymowie przedni, To ná iavia
Dála, ześ Ráda y wymowa Boje
Surowe w lube przemienił Pokoje.
Ja z podlým Rymem, dalekim od tego,
Wydolać tzw. Imienia twoiego,
Z ADZIK Zaczny, niechęć się tu slawić,
Tczym ważniejszym z láwnego báwic
Niechęć, Iako MARS Moskienksi zgromiony,
aby megliuše śpiewać miały strony,

Niechęć

Niechęć Tryumphu sęgac Krolenskiego,
 T Wiencow z Lauru POKOIV godnego.
 Ktory SIEWIERSKIE Tobie przyznać Grody,
 T gdzie DNIEROWE ptaw swoy toczą wody,
 Muſsa, y Moſkal, y Prusſak do tego
 Zeſię z Pokoju čeſſy ſęſc letniego.
 To Smętu wſ. wi Łatopis uczony,
 Wielki LVBINSKI, y w mowie īwiczyony,
 LIPSKI nie będąc zayrzal z GĘBICKIMI,
 By to flynęło czasy potomnemi.
 Mnie nā wołnicyszy kazaty Bárdowie,
 Ta Mvzy zagráć, coby n tamtey ſtronie.
 Oracz powtarzał, kedy Wlazmá leczy
 Gdzie DNIEROWY zež knieje Polanonskie biezy.
 Idac za Sochą z krzynioną nesołō,
 Widzę kwitnante niziny wokoło,
 Buyne we Zbozā Niwy ſię odziaty,
 T ſuchetoczą iák nā morzu waty.
 Juſ ſię węſela Pola zasiewane,
 T geſlym ſnopenem Págorki odziáne,
 A Rym nie ſkładny Źenice Sietáninā
 Imię ZADZIKA co raz przypomina.
 To Imię, ſłyſać Rzeki y Doliny
 Ozyniaſię, BOG ſam a nie inny
 Odniemieli wojne w Pokoy ulubiony,
 A miecz na Koſę przekowaſkrwawiony.
 Nie ſa pod władzą MARSA wſytkie Boie
 Ma ſwe oręże wojnā, ma Mir ſwoie
 Należy PALLA do tey ſprávy, Tego
 Trudno odsadzić Namy MERKVREGO:
 Rzadko ſię oſtra ſabla kończy wojnā,
 Ale najwięcej poradā ſpokyna,
 T Broń lezyká ktor aſerc dobywa,
 Pańskich zacięgów częſto ſkuikiem bywa.



Te które Bronią czyniemy Gránice
 Nie rozstrzygają watpliwey roznice,
 Nie winny koniec ośrzá Piorkowego,
 Lepiej dokaze ná Páperze tego.
 Gdzie sámá stußność koło kopcow chodzi,
 Kedy się prawo y z uczcivym zgodzi,
 Gdzie rozum caby z Rozsądkiem pánuię,
 Gdzie zdrowa Rada z Powagą przodkuie.
 Tamy Broni pewna. Ta B.O.G śmiertelnego
 Opatrzył, Bronią dowcipu mādrego.
 Ale my tego nic nie uwázamy,
 A z wnętrza żemie Broni zasięgamy.
 Robiemy Rękę, robimy Zelazem,
 Snac zayrzac Bydlu y Niedzwiedziom rázem,
 Ze nie brodziemy we krwi páznokciami,
 T Ran sowitych nie czynam rogami.
 Ieſzcze nie bárzo ná Stávie vtyie,
 Kto stábej Glinę, Glinę też pozyje,
 Więtſy nierownie Tryumph ma Ten, który
 Robi ta Czaſtkę, kturey zasiągał z Gory.



